


6
5 I
1

ARCHIDVCALIS ACADEMIA MOLSHEMENSIS, APOSTOLICA CÆSAREAQVE AVTORITATE FIRMATA, ET EXPLICATA

PANEGYRICO,

 QVEM



LIBRIS QVATVOR DIVISVM

REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D.

LEOPOLDO

ARCHIDVCI AVSTRIÆ,

EPISCOPO ARGENTINENSI ET PASSAVIENSI, &c.

MVNIFICENTISSIMO ACADEMIAE

FVNDATORI



Solemni Promulgationis die VI. Kal. Septemb. publica totius ALSATIÆ Panegyri

DIXIT, DICAVIT, CONSECRAVIT

COLLEGIVM ACADEMICVM SOCIETATIS IESV MOLSHEMENSE.

MOLSHEMII,

Typis IOANNIS HARTMANNI.

ANNO M. DC. XIIX.

SYMBOLVM SERENISSIMI

ARCHIDVCIS LEOPOLDI.

PIETAS AD OMNIA VTI-
LIS EST.



CVM POSSIT SAPIENS, FORTIS, LARGVSQ. VOCARI
AVSTRIVS ANTISTES, MALVIT ESSE PIVS.

IN ARCHIDVCALIA
REVERENDISSIMI & SERENISSIMI FVNDATORIS
INSIGNIA.



AVSTRIACIS radiare vides quot Symbola Campis,
Tot VIRTVTIS opes & PIETATIS habent.
Victrices AQVILÆ, inuicta virtute LEONES,
Muratæ TVRRES, Herculeæque TRABES
ARCHIDVCVM infractos animos, & Martia signant
Pectora, quæ stupet, & laudat vterque polus.
Vnde illam meritò DIADEMATA, SCEPTRA, CORONÆ
REGALEM decorant CÆSAREAMQ. DOMVM.
His iungens Sacro LEOPOLDVS honore TIARAM
ARGENTINA, Tuam, PASSAVIVMQVE, Tuam,
Et Patriæ Clypeus, seruans PATRIAMQ. FIDEMQ.
Laude pari COELO fidus & IMPERIO,
Aurea sæcla Patrum reuocat per TEMPLA, per ARTES,
Infestosq; arcet MARTE, PEDOQVE lupos.
Hinc terris GEMINATVS HONOS, GEMINATAQVE Cœlo
PRÆMIA debentur PRÆSVLI, & ARCHIDVCI.

INDEX
LIBRORVM ET CAPITVM PANEGYRICI MOLSHEMENSIS.

LIBER PRIMVS.

CA-

LIBER SECVNDVS.

DE DOMO AVSTRIACA, DEQVE Serenissimo LEOPOLDO Academiæ FVNDATORE.

CA-

CAPVT IV.

ALSATAE, qui morum innocentia, vitaque sanctitate, & admirandis prodigiis Patriam illustrarunt.

CAPVT V.

ALSATIAE hactenus Academiam; non tamen Alsatas Academiis defuisse.

CAPVT VI.

ALSATICAE Iuuentutis ingenia disciplinis Academicis percipiendis idonea esse.

CAPVT VII.

Quam honorificum, quamque opportunum ALSATIAE, in ea per Serenissimum Domus Austriacæ Archiducem Academiam fundari.

CAPVT IIX.

GRATIAE Serenissimo FVNDATORI, nomine Nobilitatis Alsaticæ.

LIBER QVARTVS.

DE SOCIETATE IESV, cuius gubernationi credita est Academia Molshemensis.

CAPVT I.

De SOCIETATIS IESV in Christiana Iuuentute disciplinis Academicis erudienda instituto.

CAPVT II.

SOCIETATEM IESV Hæreticis tum ob alia, tum maximè propter functiones Academicas exosam esse.

CAPVT III.

SOCIETATEM IESV ab primis initiis ad hanc diem per Serenissimam Domum Austriacam clementissimè in Germania susceptam, defensam, & per Orbem Christianum propagatam esse.



AR-



Capvt I.

REMPVBLICAM CHRISTIANAM RELIGIONE ET DOCTRINA *stare atq; efflorescere.*



VAM munifica & varia per omnem ætatem ab Principibus in subiectas illis ditiones emolumenta profecta sint, ex quo mortalium vita legibus & iustis imperiis à victu cultuq; bestiarum abducta in vnam societatem coaluit; dubitari fortasse posset, nisi innumerarum vrbium cætus, & florentissimarum nationum populorumque mores atque instituta, hunc nobis fructum quotidie commendarent. Etenim quis non videt, post illam pulcerrimam non ciuilium duntaxat legum, & earum, quas natura duce hausimus; sed Christianæ etiam disciplinæ descriptionem in mores hominum inuectam, quanta gentium antea efferatissimarum mansuetudo consecuta sit, quanta verecundiæ & cōtinentiæ laus, quantus fidei & iustitiæ splendor in animis eorum præsertim eluxerit, qui vna religione deuincti optimam benè beateque viuendi rationem ac viam tenuerunt? Et vero proprium Religionis esse sapientissimi quique rerumpubl. moderatores statuunt, suum Deo cumprimis cultum summamque venerationem religiosè, castè, integrè impertiri, effrenes indomitarum cupiditatū motus in rationis gyrum cogere, complecti patriam, conciliare sibi animos hominum, &, quod de Regibus iustè imperantibus quidam dixit; summos cum

Cic. lib. 3. offic.

cum infimis pari iure retinere. Itaque instar legis vera Religio cum omnibus vna semper atque eâdem voce loqui solet, totius reip. summam suo sibi iure deposcere, legibus dare vitam, ciuibus pacem, salutem & incolumitatem subditis; vt non tam naturę, quam diuini Numinis pręsidio hęc felicitas mortalium generi comparata videatur. Enimuero duce & auspice DEO regnare Reges, perque eum Respub. constitui ac gubernari, tam est apud Orthodoxos exploratę veritatis, vt genti & regno, quod non ipsi seruierit, interitum & pręsens exitium diuina per
Isa.c.60. Isaiam oracula denunciarint; vt qui populum non habet iuris, ęquitatis, & quod caput est, verę Religionis consensione sociatum, eum ne rempubl. quidem habere arbitremur. Quare in omnibus supremi Numinis obseruantiam, & à summo Christiani Orbis legislatore Christo præclarè sancitam viuendi disciplinam principatum obtinere necesse est, si indemnem atq; incolumem esse volumus non eam modo, quæ iure gentium & legibus populorum; sed beatiorem illam inter mortales consociationem, quæ diuinarum legum retinaculo continetur: vt nulla tam tetra, tamq; exitiabilis in remp. pestilitas grassari possit, quam si hoc firmissimo Reip. munimēto per hominum factiosorum improbitatem tremefacto, regnum resq; publicæ non ad Religionem; sed Religio ad regni ac rerumpubl. rationes accōmodantur. Et quidem idcirco tuendæ sanciendæque Religionis munus apud Reges & Principes tam sanctum esse maiores nostri voluerunt, vt nemini omnium apud Christianos siue summa in Imperio Romano, siue inferiora in regnis quibuscunque aliis sceptra committi voluerint, qui non àntea religiosissimâ asseueratione, id est, solemni iureiurādo sacrosancta DEI Euangelia contestatus promisisset, se non iura tantum iustiaue populi; sed Ecclesiæ dignitatem & Ordinem Ecclesiasticum, omniaque Religionis commoda atque pręsidia

sidia pro virili aduersus unumquemlibet hostem strenuè vindicaturum,nec vindicaturum modo,sed fortunas imperii,& Ecclesiæ facultates,etiam pro renata,quoad eius fieri posset,ampliaturum. Quotus quisque ergo Principum,qui hoc se iusiurandum ex animi sententia iurasse meminerit,non grauissimi sceleris reum se æstimabit, si officio tutelę ac necessarię defensionis intermisso,vel oppugnatæ clam palamue Religionis patrocinium turpissimè deserat;vel prędæ denique sicariorum aut atroci beluarum immanitati populum, Clerum, resque sacratissimas perniciosa dissimulatione, non admotis,quibus opportunè succurrere posset,remediis,obiici patiatur? Quid alia memorem vincula,quibus Regum ac Dynastarum fidem tutandæ conseruandæque Religioni vetus auorum memoria arctissimè constrinxit? Sacrosanctas Cæsarum leges ac sanctiones, Theodosii nominatim, & Valentiniani, hanc principem omnium Gubernatorum curam esse sancientum, vt per omnia superni Numinis Religionem tueantur; & inter cæteras sollicitudines hanc perpetuam veræ & Catholicæ Religionis sartæ tectæ retinendæ cogitationem esse oportere, vti, cuius cultu iter prosperitatis humanæ Principum cœptis aperiatur. Quid Concilia Oecumenica, summâ semper piorum Imperatorum aduersus exitiales & pestiferas hæreses & liberalitate contracta, & autoritate defensa? Quid tot illustrium & fortium Regum exempla, qui terra marique ad impietatem profligandam & stabiliendam fidem,arma, viros, suum denique, vbi res postulauit, suorumque sanguinem, excelso inuictoque animo reipubl. Christianæ sunt largiti? Quod vt ne prolixius exequar, neue alienos labores occupem, per me licet adeantur, qui de Ecclesiarum

L. Vnica. C. Mem. lic. Nouella Valent. T. 2.

Ioan. Baptista Fuckner. Cunerus Episc. Ribaden. S. Thom. de reg. Principum.

immunitate, templorum religione & asylis, deque officio Christianorum Principum, longinqua scriptorum serie ab vsq; principiis naturæ, & moribus omnium gentium repetita, graviter copioseq; hac ætate pertractarunt. Carolum ego verè Magnum conticescere nefas duco, qui potentem & bellicosam Saxonum nationem bello longè omnium difficillimo & diuturno, triginta trium circiter annorum perpetua contentione feliciter confecto, perdomitam, ita Germaniæ populis adiunxit, vt non suo magis, quam Christi regno adiunxisse videretur. vt ægrè statuas, hæc tam illustris victoria victis an victori grandius attulerit emolumentum. nam & eiusdem gentis ad decies mille cum vxoribus & liberis in oram Flandriæ translatos compertum est, tamq; fidam & strenuam inde Carolo & successoribus operam nauasse, vt in longinquas etiam expeditiones quini sextum emitterent, contra Sclauos bini tertium armarent, in Sorabos vniuersi bellum susciperent. & vt nunquam sine Sanctissimorum Præsulum ac Sacerdotum comitatu eorumque Spirituali panoplia bellum aliquod anceps adgressus est, ita eorundem disciplinis sub suauissimum Christi iugum missi ab effera barbarie ad eam mansuetudinem traducti sunt; vt pro vastitate & inimicitiis omnia legum & pacis ornamēta colerent; vbi antea ferarum saltus, ibi tum conuentus hominum & ciuitates; vbi dæmonum atque idolorum delubra, ibi templa Dei, collegiaque Sacerdotum; vbi solitudines vastæ, ibi Cœnobia & Religiosorum hominum qui se ab mundi illecebris vltro dimouissent, domicilia constituerentur. atque vt videas Heroem illum verè Augustum, æquè Religione & Marte Magnum extitisse; istas in Carolini ensis capulo notas illius iussu expressas ferunt; D. P. C. C. A. D. C. quorum sententia esset, Decem Præceptorum Custodem, Carolum à Deo

Eginhard. M. VVagnerus in Vita Caroli M.

à Deo constitutum fuisse. Quibus Religionis operibus tantam sibi gloriam peperit Carolus, vt Patres ad Synodum quoquouersum euocati certatim in gratulationem euntes, nouis eum laudum præconiis honestarent: & qui Moguntiaci conuenerant, CHRISTIANISSIMVM eum veræ Religionis Rectorem, Sanctæq; DEI Ecclesiæ defensorem pronunciarunt; qui Remis congregati, PIISSIMVM dixerunt; ab Arelatensibus Princeps & Imperator verè ORTHODOXVS consalutatus est: & hæc quidem ab Ecclesiarum Præsulibus; at vero à Deo O.M. tam luculentis eximiæ beneuolentiæ significationibus insignitus fuit, vt secundum Nathanis vaticinium, tot illustribus pace belloque factis nomen grande iuxta nomen Magnorum qui sunt in terra, consequeretur. Ottonem pari cognomento Carolo Magno parissimum nominem? ea virtute & felicitate, vt eum DEVS ad imperium Orbis terræ recuperandum genuisse, ea facilitate & moderatione, vt non tam Imperatorem quam Patronum quendam Christiano populo dedisse videretur: qui post Sedem Apostolicam armis vindicatam, post opem Italiæ fatiscenti magna dexteritate impensam, post Græcos in Calabria & Apulia profligatos, post Berengarium insolentem hæresiarcham repressum, cum par semper dedisset Religionis specimen & virtutis; ita omnium in se gentium animos in illo communi Orbis Christiani theatro convertit, vt quemadmodum antea regni à Græcis ad Germanos translati cunabula in Caroli Magni sinum: ita tunc eiusdem apud Germanicam Gentem stabilimenta, in Ottonis tutelam, vniuersa Italia secundissimis plausibus admurmurante, (obstrepentibus nequidquam nouis Sectariorum Scholis) Summi Pontificis arbitrium collocarit. Vides ergo, 2.Reg.7.

SERENISSIME PRINCEPS, Germanos ab defensa Religione Imperatoriæ maiestatis primordia duxisse, vt preclarè intelligamus, hoc augustissimi honoris ornamentum non vi vlla crudeliore, sed sincera potius erga Deum immortalem pietate, sed Religione, sed iustitia partum, sedem suam ex illo tempore in Germania stabilem collocasse. Verum nec illud præteribo, quod eloquentissimus Orator Lactantius publicâ lucubratione disertè consignauit; Vidisse maiores nostros, Religionem cum Sapientia indissolubili nexu cohærere; nec fieri posse, quin si quis hanc ab illa iniquo diuortio diremerit, contingat Religionem in superstitionē fœdissima metamorphosi, velut rosam in squillam degenerare. Vt enim natura sapiens rerum architectatrix, non altero tantum, sed duobus nos oculis res obiectas voluit intueri; tametsi idem vno fortasse assequi valeremus, ideoque gemina lucis receptacula in humano corpore solerti fabrefactione perforauit: ad eundem modum ciuitas quæpiam RELIGIONEM cumprimis, qua Deum purè, casteque colet; tum vero eam veri rectique Perspicientiam, quæ reconditis in Artibus & multiplici rerum cognitione versatur, tamquam oculos adhibebit, quibus falsum à vero, à deterioribus honesta, & à noxiis vtilia secernantur; vt vniuersim de RELIGIONE & DOCTRINA Ennianum illud haud inconcinnè vsurpes

Lactāt. lib. 4. Inst. c. 3.

Cic. lib. 3. de natura Deorum.

Plato in Alcibiade.

------ alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Et omnino hinc intelligas, quam perperam imperiis ac ciuitatibus ij cōsulant, qui labefactatis Artium ingenuarum præsidiis, atque interiore cultu sapientiæ semoto, rerum duntaxat vmbris, & inani quadam ostentatione contenti, nouam, si diis placet, luscis Cyclopibus citra solidas doctrinarum disciplinas Academiam condere adnitun-

nituntur. Aliam longè mentem eloquentissimum Præsulem Osorium & imbibisse,& ei,quẽ instituendum susceperat, Regi instillasse comperio, cùm illud inprimis persuasum testatumque esse cupit, post RELIGIONEM Reip. constituendæ conseruandæque basin, omne decus atque salutem in SAPIENTIA consistere, eamque esse vel maximè,quę mentem veris opibus illustrans,reliquis bonis scienter vti frui doceat: quare operã Regi dandam, vt resp. etiam studio Philosophiæ florentissima euadat, vti quæ non comes ignauiæ & (quod Asophi nescio qui comminiscuntur) inertis ocii nutricula, sed vigilantiæ magistra,homines publicæ salutis cupiditate inardescere faciat, & tamquam saluberrima laborãtis reip medicina, vniuersa morborũ symptomata efficaci amuleto dispellat. Sanè Walfridum Strabonem in poëmate, quod Ludouici Pij Imperatoris Coniugi, Regiæ item proli, cęterisque Palatinis inscripsit & dicauit, ad illud Platonis in Alcibiade effatum, quo florentem imperii statum fore Principe Philosophante dixerat, ita memini verius fortasse,quam elegantius canentem allusisse; *Osor.lib.8. de Instit. Regis.*

Nunc tandem creuit felix respublica, cum sat
Et Reges sapiunt simul & regnant sapientes.

neq; hic contrita retexam eorum exempla, quos magnis cladibus imperia concussisse reperimus,quamprimum Regibus hæc Sapientiæ & Doctrinæ præsidia eripuerunt. An non Gothi Athalaricum,quem Amassunta præclaris dotibus fæmina liberaliter instituendũ optimis Magistris in disciplinã dediderat, à literis magno suo reiq; publicæ damno abstraxêre,quod hisce studiis in eo militare robur infringi,animumq; crederent effæminari? Quid Ludouicus XI. Galliarũ Rex,is qui Alsatiam nostram cæde quondam & populationib.fædissimè lacerauit? an non eius cõsilij, quo Carolum Filium rudem literarum esse voluit, *Papirius Massonus.*

neq;

neq; plus de Latina lingua quam hæc quina verba condiscere; Qui nescit dissimulare, nescit regnare; infelicem & pænitendum successum, florentissimo Galliæ regno haud multo post omnem in partem à paucis potētibus miserè circumacto, deplorauit? dissimulemne, quod è Paccio Locensi recens Gallus historiographus de Ludouico Simplice memoriæ prodidit, qui cum nullas omnino literas didicisset, vbi Turonū aliquando venit, viditque Fulconem Andegauensium Comitem in templi choro Sacerdotibus permixtum psallere, risum tenere non potuit. sed re comperta Fulco breues ad eum postea literas dedit, quarum summa erat; inter Regem indoctum & asinum corona redimitum nihil omnino interesse. neq; his literis offensum aiunt Regem, sed quod bonarum Artium rudis esset, dolenter ingemuisse. Præclarè igitur peruidisti, SERENISSIME PRINCEPS, illud firmum expertæque soliditatis in rep. constituenda fundamentum esse, non quod Alpium prærupta & horrida vel naturæ vel artis ductu propugnacula exterarum gentium transgressionibus opponunt, nec quod Oceanus aduersus hostium insulanorum vicinitatem obiicit; nec fossas, quas gurgitibus inundantes solers archistrategorum industria mœnibus circumducit; sed quod RELIGIONE, veriqueDEI cultu & SAPIENTIA nititur, quarum præsidio: si montes subsidissent, si exaruissent maria, si fossæ implerentur, si æquarentur solo vniuersa, adhuc tamen aduersus omnem vim hostilium machinarum & inualescentes rerum humanarum procellas probissimè munitam Te remp. habiturum opinaris. Vidisti etiam, si nexum hunc RELIGIONIS, & SAPIENTIÆ dissolui nolumus, si vim & iniuriam volumus extingui, si ciuium animis barbariem omnem atque feritatem eripi, si iudicia, iustitiam, leges, easque Artes, & instituta pietatis, quibus & res communis, & cœtus hominum, & vrbes

bes oppidaque continentur, retinere, si eas pestes pro virili profligare, quæ bonorum consensum, iuris æquitatem, fidei constantiam, belli ac fæderum leges, ciuium commoda, salutem & incolumitatem rerumpub. aut opprimere solent aut elidere; ACADEMIAS & bonarum Artium domicilia constituenda esse, vt in quibus & RELIGIONIS, quę vinculum est rerumpub. regnorumque, & DOCTRINÆ, quæ instrumentum virtutis haberi solet, firmissima præsidia comparantur.

CAPVT II.

DOCTRINAM, QVAE CONSVETA LL. ARTIVM ENCYCLOPAEDIA in ACADEMIIS traditur, sicut Reip. firmamento; ita Religioni ornamento esse.

SED iam nobis hucusque in accuratiorem ciuitatis ac reip. Christianæ quâ Religione, quâ Sapientiâ firmandæ curam incumbentibus, liceat, SERENISSIME PRINCEPS, alias quoque partes suscipere; vt cum Aristotele & optimis ciuitatis fundandę magistris vtrumque hoc munimẽtum suis adminiculis fulciamus. Quod dum cogito, venit in mentem veteris illius sæculi, quod aureum Poëtæ dixerunt, felicissimum per se genus hominum iuxtaque sapientissimum producentis; quando in illis naturæ incunabulis, & quasi sincerioribus humanæ vitæ rudimentis, solâ virtute regnum ditionemque obtinente, sicut omnis illa scelerum vitiorumque colluuies longissimè aberat; ita vltro ad virtutem honestatemque impellebantur: at postquam hic vigor consenescere, & velut ad occasum sol iste fulgentissimus declinare cœpit; mox ingenia mortalium ad peruersa delabi, vitiis malle,

Plato de rep. Arist. in Politicis.

quam virtutibus oblectari, adeoque contra honestatem armare sese; donec longo tandem vsu in illarum locum subirent ------ *fraudesq́, doliq́,*
Insidiæq́, & vis, & amor sceleratus habendi,
Quæ turpissima malorũ vorago iam in eo erat, vt totam ferè hominũ stirpem depasceretur; ni eadem illa vis naturæ & rationis, tamquam impendentis ruinæ præsenti periculo expergefacta receptui canens, in paucorũ, id est, doctorum hominum sese præsidium recepisset. illi ergo indicto vitiis bello, & animis hominũ ab agresti more ad omnem humanitatem reuocatis, aureum illud sæculum per Philosophiam & cæterarũ Artium, quas liberales dicimus, cognitionem, quasi postliminio nobis recuperarunt. Quarum Artium disciplinis literariæ iuuentuti publicis exedris tradendis, ACADEMIÆ, celeberrimæ cuiusq; reip. pars non minima, destinantur; vt sicut magnis impendiis constitutæ, magnis item immunitatum prærogatiuis decoratæ sunt; ita ad illas, quasi ad communes ingenuarum Artium officinas, publica disciplinarum emporia, altrices ingeniorum Domos, cunctarum gentium & nationum lumina, quibus studia excoluntur, acuuntur ingenia, limatur doctrina; omnis ordinis ingeniosa indoles discendi gratiâ comearet, resp. consilium quandoq; & instructionem in grauissimis controuersiarum litibus caperet: tum vero per easdem, viri eximiâ suâ eruditione commodo atque vsui quandoque futuri, vbi bonam ætatis partem in iis obeundis contriuerint, velut per inauguratorium tribunal à vulgo secernerentur. vt rectè proinde R Gamalielem in Apophthegmatis Iudæorum, quæ ipsi Pirke Auoth dicunt, pronunciasse censendum sit; Qui Academiam multiplicat, eundem quoq; sapientiam multiplicare. Enimuero qui animum suum ita erudiunt, vt eliminatis Academicarum doctrinarum studiis, sistãt nobis homines excultos peregrinationibus, aliquantã item exoticarũ linguarum cognitione perpoli-

In Pirke Au. cap. 2.

tos,&,si placet,plasticæ,architecturæ,addo etiam, rei militaris vsu exercitos, quiq; gustū aliquem rarioris elegantiæ,multos homines & vrbes adeūdo,delibarint; illos demū obeundis iudiciis, sentētiis pro Senatu dicendis,consiliisq; ad populum explicandis opportunos arbitrantur; næ ii non meâ solius, sed omnium rectè sentientiū opinione grauissimè hallucinātur. Sicut enim optimū quemq; & reip. gubernaculis intentum moderatorē à prudentia consilioq; ita instructum esse oportet, vt sine hac libellâ & lineâ nullum illi opus ex animi sententiâ processurum facilè intelligam; ita per doctrinā,quæ ab eruditis ACAMIARVM subselliis peti solet,rationis iudicium, & vim non modò formari atq; acui; sed,vt oculo lumen ab aëre circumfuso,sic lucem quandam ab hac,in rerum agendarum fugiendarumq; delectu,æstimo communicari. Quod certè tam vtile,tamq; necessarium vtriusq; commercium Menedemus Atheniensis Senator probè animaduertit, qui, referente apud Marc. Tull. Antonio,omnes germanæ prudentiæ,quæ politicam tractat,partes,à philosophia petendas asseruit; cum ea quæ in rep. de diis immortalibus,de disciplina iuuentutis, de iustitia,de patientia,de temperantia,de modo rerū omnium,de fide,de legib.,de frangendis cupiditatib. & morib. hominum cōformandis statuenda essent,cæteraq; sine quibus ciuitates aut esse,aut bene moratæ esse nequeunt, hæc omnia penitus in media philosophia abdita retrusaq; comperiantur. Mancam itaque & mutilā ciuitati prudentiam relinquit, quisquis ab eius latere Philosophiā & veræ Sapiētiç studium auellere nititur,eaq; bona in rep. malè diuidit,quç sine certissimo reip. detrimento non possunt separari. Quibus ita cōstitutis,si hominē quempiam plenū rationis & cōsilij, atq; è paucis absolutū omnib. numeris virum rebus gerēdis maturum

Arist. apud Laertium. I. Lips. notat in c. 10. Polit. Cicer. 1. de Oratore.

desideras; nego talem vsquam terrarum reperiri, nisi ille ab inchoatæ literaturæ elementis exorsus, indeque per scholarum gradus prouectus Academicarũ Artium cultura erudiatur. quid enim? sit nobis puer naturæ bonitate & insitæ ingenuitatis indole, qualem Philosophus exigit, ad studia probè capessenda factus; sit, qualem Flaccus volebat, ingenium cui sit, cui mens sincerior, atque os magna sonaturum; hic si vtilitatis publicæ, si grauissimorum virorum, si perfectionis suæ rationem habeat, dabit se primum in Grammaticorum gymnasia, vbi verba interpretari condiscat, eoque referat vniuersa, vt emendatè, purè, vt Latinè loquatur, idque eò conabitur accuratiùs, quod in his quasi seminibus principia quædam magnorum fructuum delitescere pro comperto habeat: deinceps vero, hoc velut solo ac fundamento posito, adhuc in Musarum castris prætextatus gentium historias cognoscere, poëtas pertractare, totius antiquitatis longinquam memoriam retexere, descriptiones temporum, ritus gentium, Sacrorum ac sacerdotum iura, nomina, officiâque, quæ domesticâ bellicâque disciplina retrolapsis sæculis viguerunt, replicare consuescet. tum vero vbi non doctrinâ minus, quam ætate iudicioque processerit, acrioribus literarum percipiendarum facibus incẽsus, maius quiddam audebit, & verba meditabitur, quibus non aptè solum, sed disertè, sed copiosè, sed eloquenter animi sensa depromens, in mentes hominum irrepat, restinguat iracundiam, eripiat metum, lætitiam comprimat, ægritudinem abstergat, & diuersissimorum animi motuum quasi prudẽs modimperator, mutatâ quoquouersum, vbi opus erit, velificatione, abducat, reducatque Auditorem. Huic ergo sic ab vrbanioribus literis egregiè comparato, vbi veri falsique disceptatrix affinis Oratoriæ disciplina accesserit, quâ latentia definiendo patefacere, obscura

Arist. 3. Ethic.

obſcura quæque explanare, diſtinguere ambigua, & quale quid ſit, ratione indagare condiſcat, indeq; in penitiora Phyſices adyta intromiſſus, ſi cauſſas rerum obſcuriſſimâ nocte retruſas ſolerter eruat, ſi aquarum fontes, fontium capita, multiplices orbium cæleſtium reuolutiones, tandemque patentiſſimum hoc vniuerſi templum, quod omnem rerum naturam complexu ſuo tuetur, animo ſubeat, ſi denique animus ipſe ſupra omnem oculi corporei facultatem, omnium quæ extra ſe fuerunt contemplator, interiore ſemetipſum obiectu ſentientem, intelligẽtem, & vegetantem, & nihilo tamen minus ęternum, ac ſuapte vi ab omni corporeæ molis impedimento ſeparabilem, diuinarum mentium ſocium, Deoque ipſi quam ſimillimum cognoſcat; incredibile eſt, quam ſolidâ ſuauique internæ mentis amœnitate perfruatur. Hunc talem, iam omnia quæ ſupera, media, quæque infima ſunt, in aſpectu collocantem, ſi animum vel ad ciuilem diſciplinam adplicet, vel ad medicinam adpellat, an non hiſce ſcientiis aſſequendis potiores illi partes præ illo deferemus, qui ſumma dumtaxat rerum ante recenſitarum capita, decerpſerit, quique de tam vaſto diſciplinarum Oceano, ſtillulas, vt ſic loquar, aquæ guttatim, velut canis è Nilo deguſtarit? Quod ſi autem Sacroſanctæ Theologiæ & Sacrarum literarum apex, idemq; ille clariſſimus omnium Scientiarum fulgor, tamquam Sol ſtellarum Princeps ac moderator fœcundo pectori illuxerit, qui longè latéque vniuerſa ſplendore ſuo irradians, quæ diu craſſis circumfuſa horrebant tenebris, in patentiſſimum meridiem producat, nonne hic noſter Pancratiaſta, tot támque egregiis conſilii & ingenii laboribus magnâ omnium approbatione perfunctus, nec tam clypeo, quam veritatis caduceo inſignitè obarmatus, comite ac duce Diua THEOLOGIA, vel inter medios hoſtiũ cuneos deprehenſus, quidquid aut maleuolentiſſimorum hominum fraudes, aut

pestiferarum hęreseon amentata tela, aut turpissimorum scelerum oppositę turres obiecerint, contemnens, refringet impetum, comprimet audaciam, conatus retundet? huius consiliis resp. tam belli, quam pacis Artibus egregiè efflorescet? ipse interea nihil sibi, nihil viribus suis arrogabit; sed cum omnia vni Deo adscribet, tum vero se omnium administrum, & quasi stipendiarium curatorem agnoscet. neque enim velim hunc, quem tamquam perfectum Academicum proponimus, esse aut eloquentiâ inflatum, aut elatum scientiâ, aut peccati cuiusquam suspicione, nedum labe corruptum; vti qui fuerat ab primæuâ in Lyceum ingressione vnâ cum literis ad pietatē, ad religionem, ad sanctos mores imbuendus; vt ex omnibus, quæ pro scholis disceret, præclaram illam combiberet Dei consuetudinem, quâ in turpem & criminum sordibus lutulentam animam purissimum illum diuinæ Sapientiæ liquorem influere non consuesset. Exposui, quâ licuit, exactam summi illius viri normam, quem à primo tyrocinio egregiis Academiæ disciplinis accepimus instituendum. ad quod exemplū non minore doctrinâ quam sanctitate Augustinus magni & perfecti Theologi speciē, se ipsum nescius viuis colorib. expingens, eum principio quidem copiosa politiorum literarum cognitione imbutum, tum nullo ex illis fastu tumidū, sed modestia potius atque animi demissione insignem; deinde toto pectore sacris literis ad operam fructuosius quandoque reip. nauandam deditum efformabat, quem non vereor, ne quisquam eius Oratoris similem esse suspicetur, quem se nunquam vidisse, sed neque se visurum fuisse apud Ciceronē Antonius palam cōtestatur; aut Xenophontei Cyri non ad fidem historiæ, sed ad iusti Regis effigiem conscripti. extiterunt enim, vt cādidè, quod sentio, eloquar, in omni semper ætate ex Academiis hactenus institutis, è quibus, etiamnum vel ex hoc ipso consessu, quæ summa Dei benignitas

Cicer. in Orat.

nignitas est, proferri possent, nisi notus modestiæ pudor obstaret, viua, hodieque spirãtia eorum exempla, qui eximia doctrina, magna pietate, egregia fide viri, sicut diuinam hanc felicitatem ab Deo Domino sunt consecuti, ita Societati nostræ animos addunt, nosque vniuersos quotquot hoc loci degimus, vnà tecũ SERENISSIME PRINCEPS, benè sperare ac confidere iubent, vt si non omnes ad tam excellens in omnigena variarum rerum eruditione percipienda fastigium, at certè ad id, quod in omni genere cuiq; accõmodatissimum est, prouehere, tota quoad possumus, animorum contentione simus adlaboraturi. Quotus quisq; iam mihi nõ assentitur, talem quotidianis literariæ palæstræ exercitamentis egregiè iactatum probatumq;, in rep. moderanda pupis illis longe anteponendum, qui vix negociationẽ literariam ingressi, aut ad cænam doctrinarum inuitati, iã saturos sese clamãt, quodq; magnus sui nominis Chrysostomus pueriles ingenij esse cẽsuit, putidè apud suos raciocinati, nihil philosophiæ salebras ad SS. Theologiæ templa; vel ad Iurisprudentiæ arcana prodesse; vix dum contactis Academiarum vestibulis perinde agunt, quasi iam scientiarum colophonem pertigissent. domum interim reduces, non tam Doctores Artium & Iurium, quam patrimoniorum decoctores, si ius populis dicendum, si dandum consilium, si sententia in comitiis explicanda, pro laude & plausu sæpenumerè, vti simia in fabulis, largam reportant messem cachinnorum. Sed his iam præteritis de RELIGIONIS per disciplinas Academicas ornamẽto maximè omnium necessario vel pauxillulum agamus. Quid hic morer SERENISSIME PRINCEPS? cur in Ecclesia vetere tam exacta diuinorum voluminum tum conseruandorum tum elucubrãdorum cura? cur de Philosophorum quorumpiam & Oratorũ ad Christi fidẽ accessione tantę quondã Christianorum gratulationes? cur de indoctis ab Sacrorũ Ordinũ

aditu

aditu arcendis tot Conciliorum leges grauissimæ? cur in Amplissimis Canonicorum Collegiis de annis aliquot in Vniuersitate ponendis tot maiorum sanctiones? cur in Religiosorum Asceteriis de diuinis literis explanandis tam seriæ Prouincialium & Oecumenicarum Synodorum cohortationes? videlicet in liberali & erudita laudatissimarum Artium perceptione RELIGIONIS nostræ cardo vertitur, per eam hęresum tenebræ detegũtur, prauarum mentium stolones exstirpantur, vitiorũ omnium sordes deterguntur, & in quo sunt omnia, respub. benè ritéque administrantur. Exhinc cum in prisca illa Christianitatis tempora mentis aciem intendo, non possum prætermittere, quin optimos illos Principes vel indiculo recenseam, qui cum belli magis, quam pacis artes id temporis martiales tractarent, nec tamen Religio & Sapientia longè ab iis abessent; viros pietate & scientiis instructissimos palatiis suis innutrierunt; quibus domestica, militiam Palatinam, cancellorum decus, arcana sua, responsaque tutissimè concrederent; vt eorum & eruditio consiliis suis autoritatem, & RELIGIONIS tuendæ studium tutelam reipub. adferret. Sanè qui florentissimi Francorum Imperij res pręclaras memoria repetunt, illorum palatia non tam ciuilium hominum aulas, quam Gymnasia Sacerdotum, & sanctissimorum Pręsulum fuisse meminerunt. Producamne Cunibertos, Modoaldos, Eligios, Arnulphos, qui Clotharij & Dagoberti Filij Galliarum atque Austrasiæ instauratorum palatia non integritate solum, vitęque innocentiâ; sed iustitiæ, religionis, & prudentiæ grauitate exornarunt? Dicamne in Caroli Martelli Bellicosi Regis aulâ Bonifacios, Hildulphos, Willibrordos, cęlestis sapientię & exempli, morísque prisci seueritate illustrissimos Pręsules? Laudemne nunquam satis laudandum Carolum Magnum, quem maiorum literę inter Pontifices & DEI Sacerdotes assiduè commorantem

tem

tē domi, foris, pace, bello, ſine hoc clauo, & gubernationis Eccleſiaſticæ diſciplina nusquam aut vela dediſſe in altum, aut reipub. nauem cuipiam commiſiſſe prodiderunt. Longum ſit ire, poſt faſces imperij in Saxonum ſtirpem inclinantes, ad Heribertos, Brunones, Vdalricos, Ottones, Bernvvardos, Hoſios, Socolouios, Antiſtites ſanctitate iuxta & eruditione notiſſimos, qui Ottones, Henricos, Lutulfos, Fridericos, Sigismundos, Stephanos, alioſque imperij regniſque Proceres ita publicorum conſiliorum moderamine direxerunt, vt nihil ab iis admitti paterentur, quod à regia dignitate, id eſt, à iuſtitia, ab auita religione, à ſincera pietate abhorreret. Ac ne antiqua ſolum tabularia excutere videamur; quis non Carolum V. Auguſtum Tui ſanguinis Cæſarem, dignam Auguſto, dignam domo Auſtria vocem emiſiſſe laudauit; qui poſteaquam Ioannem Roffenſem Patrum purpuratorum decus, & Thomam Morum regni Cancellarium, Anglicani Regis furore, pietatis & innocentiæ ſuæ reos, nefariè contrucidatos inaudiit; Ego vero, inquiebat, ſi meis in regnis eiusmodi duo lumina nactus fuiſsē, quamcunq; munitiſſimam mihi præ illis ciuitatem auferri paterer; nedum vt iniquè oppreſſos tolli è medio iuberem. intelligebat videlicet ſapientiſſimus iuxta & bellicoſiſſimus Imperator, quod olim Darium Perſarum Regem huic pænè gemellum dixiſſe meminimus; malle vnum ſe in regno Zopyrum habere, qui Regem conſilio prudentiaque regeret, quàm decem Babilonibus potiri; quod talium virorum autoritate ductuque & regia poteſtas, & amplitudo imperij, & magiſtratuum incolumitas, leges, mos maiorum, res militaris, ſacra, profanaque iura contineantur. Hoc ergo ampliorem ſe Tibi, SERENISSIME ARCHIDVX, & venera-

Zenocarus in vita Caroli V.

tionem vt Principi, & laudem vt Tutori, & amorem vt Parenti, Alſatæ Tui, qua ſunt inſita humanitatis indole, profitebuntur, quod, vt illis in Religione orthodoxa conſtantiſſimè retinendis adderes perpetuitatem, ACADEMIAM hanc intra ipſa Patriæ viſcera conſtitui decreuiſti, vbi in cariſſimorum parentum complexu floridior ætas adoleſcentum, illam humanitatis & Philoſophiæ peritiam cum SS. Theologia pulcerrimo fœdere copularet; deinde vero ad maturitatem prouecta, cōſilio, induſtriaque ſua id ageret, vt, quod ille inter aurea Chriſtiani populi ſæcula commendabat, reuerentia Religioni, dignitas pudori, honor virtuti, caritas patriæ ab omnibus æquè impenderetur.

CAPVT III.

ACADEMIAS CIVITATIBVS QVIBVS CONDITAE SVNT, eximium ſemper ſplendorem, ſæpe etiam incrementum attuliſſe.

NE vero Academiarum atque Gymnaſiorum amplitudinem ſola vtilitate, quod vulgus ſolet, metiri videamur, iſtud etiam exequendum duxi, Academias in decus, gloriam, & immortalitatem non eorum tantum, qui iis excoluntur, ſed vniuerſarum etiam ciuitatum rerumque publicarum conſpirare. Certè cum è duobus alterna rerumpub. tempora eſſe ſoleant, pacis aut belli; quod pacis ornamentum auguſtius, quod ſolidius firmamentum, quam earum Artium ſedes & domicilia, quarum cognitione (vt ille canit) pectora molleſcunt, aſperitasque fugit? at quid formidoloſos armatorum hoſtium impetus frangere, generis claritatem conciliare, vrbium decora firmius tueri poteſt, quam bellica fortitudo? nimirum, quod in ſuarum Inſtitutionum veſtibulo Iuſtinianum Imp. & ſanctiſſimum Francorum Regem

Ludo-

Ludouicum dicere ſolitos accepimus, ea verè florens ac beata Reſp. eſt, in qua cum bellicarum rerum gloria, diuinarum humanarumque rerum cognitio effloreſcit. Quod veteres vt ſignificarent, eandē opinor Mineruam, quam diſciplinarum Præſidem ſtatuebant, & caſſide armatam, & inſtructam libris eſſe finxerunt; vt quod in vna Dea expingebant, id in vna Rep. optimè conſociari docerent. Verumenimuero dabis, vti confido, SERENISSIME PRINCEPS, hanc veniam Muſis togiſque noſtris, quæ pacem inferre & colere, atque ad hanc alios hortari conſueuerunt, vt in hac cōferta humaniſſimorum hominum Corona martios omnes tumultus ſilentio conſepeliam, & ad lectiſſimā pacis gemmam, qua, Tulliano elogio, non ij modo quibus natura ſenſum dedit, ſed tecta etiam ipſa atq; agri lætari videntur; cōuertero dictionem. Hac igitur principatum obtinente, dum per varios recentis veteriſq; memoriæ & celeberrimarum orbis partium annales animum circumduco; vna quaſi voce atq; conſenſu, nobiliſſimas quaſque ciuitates immortali nominis fama, hominum vndequaq; affluentium concurſu, ampliſſimis opibus, &, quod caput eſt, virtute, ſapientia, & religione per Academias potiſſimum effloruiſſe loquuntur. Etenim vti ea cælorum pars ornatiſſima, in qua maior aſtrorum collucentium multitudo viſitur; ita ea terrarum laudatiſsima portio habenda, in qua maior eruditorum hominum, qui in Sacris iuxta & profanis tabulis Lúci, Soli, ſtellis conferri ſolent, frequentia reperitur. Mira quondam & magna eademque doctiſsimorum hominum encomiis vulgatiſsima Athenarum monumenta fuerunt. quis enim Athenienſium claſſes, quis populoſam multitudinem, quis affluentiſsimas opes, ædium & palatiorum amplitudinem quis non audiuit? nihil tamen illis tantum ſplendoris comparauit, quantum, quod eruditiſsimis hominibus liberalibuſq; ſtudiis affluerent,

quod mortalium iudicio ſapientiſſimos Socrates, diuinos Platones, Philoſophorum Principes Ariſtoteles, quod dicendi magiſtros Iſocrates, eloquentiæ Reges genioſque Demoſthenes, quod cæteram illam Philoſophorum atque Oratorum familiam alerent, qui omnia illuſtrium doctrinarum genera certis Academiarum, Lyceorum, Stoarum, Gymnaſiorum domiciliis profitebantur. Niſi vero tam ſumus veteris hiſtoriæ rudes, vt paucas Vrbes toto terrarum orbe iiſdem planè temporibus, pulcritudine inſignes, magnitudine florentes, adeoque ipſis Athenis, ſi alia omnia ſpectemus, longè anteponendas extitiſſe opinemur; Memphim, Carthaginem, Alexandriam in Africa, Romam, Auguſtodunum, Treuiros in Europa, Ecbatanam, Tauros, Babilonem in Aſia, pulcerrimas iuxta opulentiſſimasque ciuitates, quæ tamen, quod iſtis ſtudiorum ornamentis, Doctorum hominum copia, & publicis Academicarum Artium exedris deſtituerentur, præ illis ſubobſcuræ manſerunt. certè illas ipſas, quas collaudaui Athenas, iam tum licet priſtini decoris honoriſque expertes, ſuſpiciebat tamen apud Marc. Tullium Atticus, non tam opibus earum magnificis, exquiſitiſq; antiquorum operum monimentis delectatus, quam recordatione clariſſimorum virorum; cum vbi quiſque habitare, vbi ſedere, vbi diſputare conſueſſet, ſtudioſiùs indagaret. Quid Româ terrarum Domina, orbis & Vrbium Regina celebrius? Illa, vt Nicetas loquitur, illuſtriſſima omnium regionum & Prouinciarum Princeps, vt Chryſoſtomus appellauit, totius Orbis metropolis, quam Cyrus Monachus nunquam ſeneſcentem, ſemper floridam, & terrarum Phœnicem, alij omnium gentium arcem, matrem populorum, auguſtum imperij domicilium, magnarum Vrbium caput prædicant; quæque (vt ipſa ſemet quodam lemmate deſignauit)

Cic lib. 2. de legib. & libr. 5. de finibus.

Fuit

----- *Fuit quondam toto celeberrima mundo,*

Marte, situ, ingenio, nobilitate potens. *Andr. Frusius in Epigramm.*

& tamen, magno Hieronymo Stridonensi teste, ad T. Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem audiendum de extimis Hispaniarum Galliarumque finibus venisse legimus, & quos ad sui cōtemplationem Roma non traxerat, vnius eruditi hominis fama perduxit. *Hieron. ep. ad Paulinum.* Quid Byzantium loquar? quam Constantinus Magnus, Matre Helena Augusta rebus humanis erepta, cum imperio Occidētali relicto maiestatem decusq; prouinciarum in Orientem transferre satageret, & ceu alteram Romam omnibus iusti imperij ornamentis afficere statuisset; post vastissima spacia, quæ immensis opibus impensisque in eam rem comparatis, mænibus vallarat, tum priuatis tum publicis ædificiis occupata, post tot deductas superba virium ostentatione colonias, post Augusti sui nominis appellationem illi impertitam; nunquam tamen eam illi celebritatem comparauit, quam consequentibus annis legū consultissimus Imperator Iustinianus inuexit, cum primum Iuri dicundo docendoque publicum ibidem emporium ingenti præmiorum, honorum, & vacationum spe catissimis Legum Professoribus, vnaque auditoribus proposita collocasset. Tunc enim Constantinopolis ob Clarissimorum Doctorum celebritatem, incredibilem studiosorum vndequaque affluentum copiam, fama longinquas regiones longè lateque peruadente, per multas deinceps ætates studiorum altrix atque domina, &, vt Fridericus Augustus posteris sæculis scripsit, Liberalium A A. ex vniuersa Græcia eo confugientum quasi commune asylum audiuit. *Epist. ad Nicol. P P.* Parisiorum vero Lutetiam quis orbis angulus ignorat? quis eam non prædicat? non admiratur? at illi hoc vnde? quod augustissimū ibi Regum Franciæ palatium? quod multa Palatinorum nobilitas?



quod ædificia vel ingenio vel effectu admiranda? quod munitissima propugnacula? quod murorum ab ima fossa eductorum stupendi ambitus? sunt hæc Parisiis sanè omnia: non eam tamen, quæ de vrbe illa est omnibus terrarum oris admirabilitatem commouerunt; sed fecit hoc eorum, qui ex quo tempore Carolus vere Magnus ex Romana Academia Coloniam illuc duxit, iuuentuti disciplinis liberaliter instituendæ præfuerunt, præclara doctrina, egregia partim dicendi partim docendi facultas, acerrimum in literarum progressu prouehendo studium, exquisita eruditio cum integritate vitæ honorumq; dignitate coniuncta. Et vero non amplissimis modò Europæ vrbibus, quas iam memoraui; sed in minorũ etiam Gentium oppidis hanc tam insignem publici splēdoris accessionem ex Academiarum domiciliis manasse videmus. Quid olim apud vicinos Austrasios Mussipontum? quid apud Vindelicios Dilinga? erat nimirum vtraque ædium paucitate pertenuis, mœnium ambitu perexilis, opibus non ditissima; nominè vero & celebritate adeoque insigni suo incremento vtraque, postquam Academicæ optimarum Artium officinæ ab fortunatissimis Principibus institutæ sunt, quam celebris, quam florens, quam multorum hominum sermonibus peruulgata? Quid, quod grauis cum paucis autor Petrus Tolosas, erudito de Rep. volumine, sua tempestate oppidula narrat extitisse in nostra maxime Germania, ante Generaliũ, vt vocat, studiorum plantationem adeo obscura, vt Geographi nullo ea loco in tabulis cosmographicis dignarentur: quæ tamen postea ex Doctorum hominum & studiosorum affluxu, ita opibus & dignitate excreuerunt, vt etiam cum primariis regni ciuitatibus conferrentur, & vero haud vulgarem illis ipsis gloriam conciliarent? Habent hoc nimirum

Pet. Tolos. libr. 18. de repub. c. 6.

rum

tum literæ, vt non eorum ſolum, à quibus penetrantur, ſed earum etiam vrbium, à quibus ſede atque hoſpitio accipiuntur, dignitatem quamplurimum augeant; vt tametſi illa, ſitu atque amplitudine ædificiorum, illa, mæniorum atque turrium pulcritudine, illa, palatiorum inſanis ſubſtructionibus nobilitata deſcriptio abſit; Gymnaſiorum tamen atque ingeniorum culturâ ſpeciem quandam accipiant illuſtriorem. Deſinant itaque nunc Græci ſuas nobis Athenas inani prædicatione iactare, deſinant Thraces, deſinant alij ſuas quondam florentiſsimas vrbes obtrudere, quas tamen nullius perinde rei, quam literarum ope ad eam dignitatem euaſiſſe fateri debent; Alſatiam intueantur, Molshemium luſtrent, vbi non iam ſolum Grammaticorum Scholæ nihil non peruium habent, non Poëtarum muſea comædiis, epigrammatis, & iuſtis heroicorum facinorum poëmatis perſtrepent, nec Rhetorum Gymnaſia præceptis, declamationibus, & perpetuis ſtyli vtrauis lingua exercitationibus fulminabunt: Sed iam etiam Dialecticorum acumine, tum Sophiſtarum nodis æquabitur Gordias, naturalium rerum perſpicacitate & cultura morum Ariſtoteles, Arithmeticæ numeris Euclides, Aſtrologiæ ſpeculatione Anaximander, Geometrarum menſuris Ptolemæus. quod ſi ad diuiniora quoque ſubſellia quis adſpiret, iam Sacroſancti diuinorum decretorum Codices, iam Angelici Doctoris tripartita volumina, iam Hebræa Chaldæaque lingua ſuis indagata radicibus perſonabunt. Neque erit, quod eorum quiſpiam, qui hanc Tuam Academiam, SERENISSIME PRINCEPS, limis aut liuentibus oculis intuentur, obtrectandi prurigine argutetur, eam ab Auguſta domo auguſtiore loco conditam oportuiſſe; cum in vicis etiam murorum ambitu & portarum muni-

munimento nudatis magnifica Gymnasiorum domicilia sedem fixisse reperiamus. Videntur enim mihi zoili isti non in doctrinarum excellentia, eximiis Auditorum ingeniis,nobilissimarum Artium perceptione; sed in locorum amœnitatibus,in hospitiorũ & cauponarum lautitiis,vti quorum animus in patinis magis, quam in palæstris habitat, Academicam gloriam collocare. quorum alterum in celeberrimis atque amplissimis ciuitatibus procliuius fere sit optare,quam assequi,alterum in pago etiam & villa sit reperire. Quamquam si tanta illos eius, quæ ex loco affluit,celebritatis cura remordet,bono illos animo esse iubeo; idque non vanis ominibus auguror, fore, vt posteaquam hæc secuturis annis ACADEMIA MOLSHEMICA solitis nixa firmamentis inualuerit, nihil eorum quæ florẽtissimis terrarum vrbibus vigere cernimus,exterorum etiam commodorum,pro Academicis nostris in Vrbe Molshemensi sint desideraturi: vt quod laudi esse apud probatissimum quemq; solet,illud etiam de Archiducali Tua Academia,non è loco accepisse, sed illi potiùs insigne ornamentum attulisse,prædicetur.

CAPVT IV.

ACADEMIARVM PRIMORDIA, IVRA, ET HONORVM INSIGNIA; eaq; ad profectum Academicorum plurimum momenti adferre.

HAC ergo tam præstanti nobilitate, quam Academiæ Ciuitatibus iis,quibus positæ sunt, conciliare solent, asserta vindicataque; quod veterum historiarum scriptores fecisse animaduerto, vt in primigenias illustrium familiarum origines,prosapiarum capita, clypeos,

peos, colores, & heroa Maiorum, si quæ ad posteritatis memoriam facinora patrarunt, curiosius an ambitiosius inquirant; idem mihi hoc loci in primis Academiarum fontibus, è quibus tot tantaque in vniuersum Orbem Christianum ornamenta profluxerunt, hodiéque perenniter promanant, inuestigandis faciundum putaui. Neq; enim vereor, si vetustissimarum Academiarum aborigines collaudaro, fore, vt tantillum de nostræ huius iam recens nascentis gloriâ decerpatur; non magis, quam cum ex nobilissimâ arbore traducem, vel ex vberrimo limpidissimóque fonte nouellam scatebram, vel ex illustri stirpe aliam prolem sobolescere videmus. Ergo Athenis studiorum culturâ celeberrimis, quas idcirco Pindarus culmen orbis & firmamentum, alij totius Græciæ museum, Græcorum Vestam & Prytaneum Pythius, Liberalium Artium mercatum M. Tullius indigitauit, primam sibi sedem ACADEMIA defixit. Vbi sicut Stoici à Stoâ, quod in porticu cum suis Zeno sectæ suæ Princeps philosopharetur, & Lyceum, locus iisdem propinquus, in quo cum Peripateticis Aristoteles regnū obtinebat: ita Laërtio contestante, ex quo diuinus Plato Socraticis prius institutis apprimè ipsos xx annos formatus, Megaram deinde ad Euclidem, hinc longis itineribus Cyrenen profectus ad Theodorum Mathematicum, exinde in Italiam ad Philolaum Pythagoricum, tandem ad Sacerdotes in Ægyptum, & ab Ægypto denique Athenas regressus, locum in suburbano nemorosum egregiâ Clarissimi Herois ACADEMI beneficentiâ Platonicæ philosophiæ datum dicatúmque palam docendo illustrauit; sicut discipulis tum grati animi, tum honoris ergô Academicorum, ita Gymnasio ACADEMIÆ vocabulum imposuit. Itaq; quemadmodum principio in vnâ vrbium Vrbe, ab Toli in arce Tarpeia refossi atque euoluti capite, Capitolium fuit appellatum; aliubi tamen, vt Constantinopoli,

Tolosan. li. 18. de republ. cap. 6. Diogen. Laert. in Platone.

D Cartha-

Carthagine, Rauennæ, Capuæ, Tolosæ, nec non celeberrimis coloniarum ciuitatibus, augustiora quælibet idolorum delubra, quibus Deorũ statuæ magnâ superstitionis improbitate locabantur, eandem illis Capitolij nuncupationem arrogasse, tum testes sunt locupletissimi, tum illud cumprimis argumento est, quod grauissimis decretis, olim Christianis vetitum legimus, ne vspiam terrarum Capitolium Sacrificandi caussa conscenderent: ad eundem modum Academia, ducto ab Platone initio, coloniaque in alias Vrbes laudatissimorum Principum voluntate inductâ, simul cum re Academiæ notionem transmisit. Cæterum cum parentum æuo certa duntaxat disciplinæ iis vrbibus, quibus hoc beneficij Principes indulserant, excolerentur; cœpere tandem D. Caroli Magni temporibus ea Gymnasia excitari, quæ, quod in iis vniuersa liberalium Scientiarum exercitamenta proponerentur, VNIVERSITATES vocabantur. Vt enim mundus iste adspectabilis, quod ambitu suo rerum tam sublunarium quam æthercarum omnigenam varietatem comprehendat, Platoni & Aristoteli τὸ πᾶν, id est, Vniuersitas dicitur; ita Scholę, in quibus ille laudatarum Artium orbis, quem, teste Fabio, ἐγκυκλοπαιδείαν Græci dicunt, euoluatur, Vniuersitates (aliàs studia generalia) meritò appellari cœperunt. Cum autem magno illo Sapientiæ Magistro attestante, omnes ad ea studia inflammentur, eaque frequentent, quæ in honore sunt (quis enim virtutem amplectitur ipsam, præmia si tollas?) hinc amantissimi rerumpubl. Principes non ipsos modò Professores Academicos eximiis honorum titulis atque ornamentis, amplissimis muneribus, largissimis annonarum stipendiis honorificentissimè cumularunt, (quod in Vespasiano, M. Antonino, Augusto Cæsare, Athalarico, Constantino, vete-

Plato dial. 9. de R. pub.

lib 2. Capi. cap 5.

l. vnica de Profess. Alciat lib. 6. Parerg. Iuris cap 27. Cassiod. l. 1. var. ep. 21.

veterum monumentis proditum est) verum etiam Auditores, quò promptius ad tam necessaria reipubl. conseruandæ tuendæque præsidia conuolarent, velut peculiaria totius corporis membra exemptos omni terrena Principum potestate, & vulgatissimis Clericorum immunitatibus dotatos, aliis etiam prærogatiuis munificentissimè decorarunt. Quarum exemptionum non Principum liberalitate duntaxat, sed etiam primæ Sedis autoritate sancitarum, cum ad octoginta supra centum capita Petrus Rebuffus doctus inprimis autor percenseat, ne actum agere videar; adtexere supersedebo. illud tantum; optimo has iis iure collatas videri. Sunt enim ipsa literarum studia (quod Sigismundus Augustus prudenter aduertit) propter eminentem quandam excellentiam, qua singulari Dei munere in orbem terrarum inuecta fuerunt, omnibus honorum officiis honestanda; vt veterum memoria hominibus non exteris tantum, sed distortis etiam & morborum tabo deformibus, literatura tamen tinctis, velut stibio quouis & cerussa formosioribus, (quod in Democulo & Homero cæcis, Tyrtæo claudo, gibboso atque informi Æsopo, lippiente Horatio, epileptico Plotino, graueolente Euripide vidimus;) singulares nihilo secius honorum prerogatiuas tum populum, tum vero etiam Principes detulisse accipiamus. Et quis est tam ab omni humanitate alienus, qui non eos qualibet fauoris dignatione demerendos arbitretur, quos amore scientiarũ patria extorres, iis commoditatibus quibus intra domesticum larem perfruerentur, vltrò sibi interdixisse, eoque consilio ad exteras oras profectos videt, vt comparatis demum literarum præsidiis reduces non tam sibi olim, quam reipub. commodarent? si enim maiores nostri (quod in Germanis nostris doctissimus Cæsar laudi duxit) tantam hospitum, & quauis

L. Medicos §. Si de Professoribus & Medicis.

Cæsar. lib. 6. comm.

etiam ex caussa peregrinorum curam habendam putarunt, vt Platonis decreto hoc solo, quod hospites sint, maiorem apud Deos iuxta & homines miserationem promereãtur; Ac Pythagora asserente, si boni præsertim probique sint, cognatis etiam & ciuibus anteponendi; vt idcirco etiam vulgo Iouem hospitalem ceu vindicem tutoremque eorum constituerint; qua non beneuolentia eos deuinciemus, qui studiorum gratia longe ab cognatis amicisq; segregati voluntarium sibi quadantenus carissimæ patriæ exilium indixerunt? vbi inter ignotos, sæpenumero etiam incultos & barbaros cõmorantes, si morbo vexentur, si fortunarum viriumque iacturam perferant, eadem ferè, quæ grauissimis casibus alienigenas perpeti solemne est, incommoda experiuntur. quid labores dicam incredibiles in disciplinarum perceptione exantlandos, intempestiuas vigilias, parcum victum, non interruptas animi contentiones, quibus, vt graphicè in semetipso Basilius Magnus expingit, & corporis robur atteritur, & ante annos consenescunt, cum eorum assiduitate pituita, defluxiones, ophthalmia, cæteraque id genus molestissima corporũ mala generentur: vt è veteribus optimarum A A. Deam Mineruam idcirco dictam multi velint, quod animi meditationes lucubrationesque continuatæ neruos imminuant, & corporis vires incîdant. Mitto, quod optimarum legum conditores hasce Academicas prærogatiuas ita scholasticorum proprias esse voluerint, vt, Horatio Lutio referente, siquis vagus sit, si honestè non viuat, si non frequentet Gymnasium, si risu, iocis, maleuolentia comilitones turbet, si aleas, lusus vetitos, symposia, cæteraque de genere eodem feria sua ducat, si Rectori Academico, si Decano, si Moderatoribus obsequi tergiuersetur, continuo velut degener omni prærogatiua excidat, quę res eosdem officio non deesse & militum instar in vigili semper statione persistere compellit. Sed

Lib. 5. de Legib.

In fine tract. de priuileg. Scholasticor.

Sed iam etiam nonnihil honores Academicos exacto disciplinarum curriculo rude donatis impertiri solitos attingamus. Atque vt rem aliquanto altius repetam; est hoc, fuitque semper in omni benè sapienterq; constituta rep. naturæ ductu receptũ, vt quemadmodum improbis pœna, socordibus obscuritas & infamia, sic probis præmia, diligentibus splendor, gloria, cæteraque virtutum insignia constituerentur. Quare, vt rectè sapientum Græciæ Princeps Solon illam aiebat verè florentẽ ac beatam fore rempub. in qua viri boni præmio & honore dignarentur; ita calculo Antisthenis, deterrima earum ciuitatum ratio est, in qua nullum bonorum & malorum est discrimen. Etenim cum præclara omnia, vt est in vetere prouerbio, difficilia sint, & iuxta notissimos Hesiodi versus, altissimarum rerum cognitio in excelso quodam prærupti montis fastigio collocetur; quid est quod hominum animos ad omnes scholastici pulueris difficultates toleranter excipiendas, ad labores literarios magna animi æquitate exsorbendos inflammare tantopere posit, quantopere gloria non illa quidem inanis & fucata; sed vera & grauissimorum hominum testificatione confirmata? Enimuero hæc secũdum Xenophonteum Cambisem labores quam leuissimos efficit, secundum Iulium Celsum IC^{tum}. ad virtutem exsuscitat, secundum Aristotelem Philosophum rectè agendi duplicat voluntatem, secundum M. Tullium Oratorem bonas artes alit, secundum Poëtam denique immensum subdit calcar ad benè rectèque agendum. Quando igitur cunque virtutis alicuius copiam in rep. excitare visum fuit, nulla vel opportunior inueniri, vel admoueri efficacior ratio potuit, quam si palmæ, lauri, coronæ, decoraque publica expertæ probatæque industriæ argumenta proponerentur. Itaq; dum non vnius hominis, sed totius orbis ea de re testimonium exquiro, dum antiquitatis tabulas & summorum Principum calculos excu-

tio, ſapientiſsimos quoſque rerumpubl. Gubernatores partim vſu experientiâque, partim inſitâ diuinitus ratione bonarum Artium procreatrices Scientias hoc velut aperto honeſtatis pabulo fouiſſe, palamque omnibus commendaſſe animaduerto; vt certis quibusdam inſignibus, quaſi Sapientiæ paludamentis, tum ſolemnibus honorum titulis eos condecorarent, qui bonam temporis partem ſub præſtantiſsimis Academiarum Doctoribus in eiusdem ſtudio fructuosè poſuiſſent. atque vt ab iis, qui alio à nobis orbe diſsident, incipiam; an non hodie apud Sinas, gentem Chriſtiana quidem philoſophia necdum de integro colluſtratam; ſed cultiſsimam tamen, & vel natura indice literarum ſtudiis addictiſsimam, Nicolao Trigautio teſte oculato, terni Literatorum Ordines, (quos Mandarinos dicunt, è quibus ſi non Reges, certè Regum Moderatores ſeliguntur) deſtinati ſunt? quorum primo imoque Siecai, (is noſtro reſpondet Baccalaureatui) triplici examine magno ſane rigore præmiſſo, ab regni, vt noſtro more loquar, Cancellario in ampliſsimo totius prouinciæ procerum conſeſſu, talaris toga, pileus item atque ocreæ peculiaria dignitatis iſtius ornamenta conferuntur. Alter vero Kingin cum noſtrorum Licentiatorum cætu comparatus, tertio quolibet anno in totius regni metropoli, auguſtiore etiam pompa renunciatur, Tertius demum Cinſu noſtratem Doctoratum repræſentans, cui explorando, Colai, (is eſt ſummus poſt Regem Magiſtratus) accuratiſsimè præeſt, ſolemni item trabea, tiara, ocreis, præter eminentiores honorum titulos & prærogatiuas cohoneſtatur. eſtq; vniuerſim ea in regno Chinenſi cæteroquin ampliſsimo literatorum & Gymnaſiorum numeroſitas, vt non tam Academiæ in regno, quam regnum ipſum vna quædam Academia eſſe videatur.

Nicol. Trigaut. in exped. Chinenſi.

Quid

Quid apud Hebræos? non olim duntaxat in duabus celeberrimis Sapientiæ Academiis, vna Babilone ſuper Euphraten, in Nehardeha; altera Hieroſolymis, Palæſtinæ metropoli, ab reditu Babilonico ad exciſam vſque per Titum Solymorum vrbem, conſtitutis; ſed etiamnum hodie, perpetuæ licet ſeruituti propria culpa, vt Hieronymi verba loquar, ſubmiſſos illa eadem titulorum qualisqualis amplitudo non doctiſsimos illos quidem, (vti, quibus offuſa pertinacium errorum caligo veram Scripturarum, in quibus conſeneſcunt, ſcientiam intercipit) gnaros tamen, & ſi placet, in illo cognitionis genere admirabiles effecit. Vbi enim tantum apud eos in literis quispiam proceſſerit, vt ex eorum numero quos נערים dicunt, excedere poſſe videatur, publico ritu מט״ין quaſi Adiutor nuncupatur; quod is videlicet iam ſit, qui priorum inſtar Rabbini opera non egeat, ſed ſuo ſemet marte in Rabbinorum euolutione adiuuare poſsit. Hic vero deinceps ad eorum cætus gradum facit, qui honorificentiore vocabulo בחורים nominantur; donec auctis iam ingenij doctrinæque opibus, Sabbato quopiam, quo die frequentiores in Synagogam conuentus eſſe ſolent, ad eos qui רבנים dicuntur, & noſtris Licentiatis conferri poſſunt, adgregetur; quod ſi ab cœpto ſtudio necdum conquieſcat, tum vero in confertiſsima, quoad eius fieri poteſt, Rabbinorum circumſecus accitorum Corona, poſt manuariæ impoſitionis cærimoniam, poſt aditam cathedræ poſſeſsionem, publica omnium gratulatione ſolemni inaugurationis formula conceptis verbis מרנו id eſt, Magiſter noſter conſalutatur. Idem prorſus, cum Iuſtiniani Iuriſperitiſsimi Imperatoris æuo faciendum viſum fuiſſet, isque acerrimo vir ingenio, legum ac iuſtitiæ cognitionem quam accuratiſsimè tractatam vellet, non publica tantum

Iuris

Iuris Gymnasia tribus celeberrimis orbis terrarum vrbibus, Beryti, Romæ, Byzantij excitauit; sed quædam etiam appellationum & titulorum ornamenta instituit, quibus tametsi præter honorem res alia nulla subesset, ad leges tamen ardentius condiscendas quamplurimi stimularentur. Eos itaque, qui ad earum studium annum iam vnum contulissent, Epone Boëtho teste, à nomine suo Iustinianæos appellauit, quod eo nimirum tempore eiusdem Institutiones, eósq; Pandectarum libros, quibus οἱ πρῶτοι seu futuri iudicij præparamenta continentur, perdidicissent. qui alterum iam annum adiunxissent, & in Saluij Iuliani digestis seu edicto perpetuo fuissent versati, Edictales; quod si tertium annum in Papiniani legum catissimi responsis posuissent, Papinianistæ; qui eas tandem progressiones fecissent, vt anno quarto difficiliores legum nodos λύειν, siue soluere nossent; λύται quasi solutores, siue enodatores dicti. quod si irrequieto scientiæ istius desiderio amplius progrederentur, tum vero προλύται, quasi qui doctrina, peritia legum, consiliis, responsisque dandis Lytis longè antestarent, nuncupabantur. Cæterum, vbi consequentibus sæculis Caroli Magni ætate, vti supra disseruimus, excitatis multiplicium disciplinarum domiciliis, quæ Vniuersitates hodiéque vocantur, studia incredibili animorũ contentione atq; ardore tractari Maiores nostri discuperent, viderentq; honorum quibusdam velut illecebris id se facillimè cõsecuturos, tres honorũ quasi Laureas earundem scientiarũ victoribus proposuerunt; quarũ prima BACCALAVREATVS diceretur, quod baccis olim Laureis istius honoris Candidati insignirētur; altera LICENTIA, quod eam consecutis quædam à Doctoribus in illo Artium genere audiendis remissio seu licentia impertiretur. tertia MAGISTERII siue DOCTORATVS, quod quæ in abditissimis harum disciplinarum adytis retrusa occuluntur, ea hi aliis monstrare, patefacere, &

lib. de progressu Scho last.

re, &

re,& docẽdo explicare posſint. Ad haſce Laureas ſapientiſsimo maiorum noſtrorum iudicio, adeóq; grauiſsimis florentiſsimarum Academiarum legibus, vbiuis gentium receptis, poſt longam aliquot annorum in nobiliſsimis hiſce doctrinarum ſtudiis exercitationem, poſt editum non in erudito Adoleſcentum tantummodo, ſed in acutiſsimorum etiam hominum conſeſſu ingenij atque eruditionis ſpecimen, poſt eorum, quos audierunt, de ipſorum aſsiduitate teſtatam aſſeuerationem, poſt ſolemnem denique Rectorum Academicorum, Cancellariorum, Decanorum approbationem, in publico ingeniorũ theatro, clariſsimâ Doctorum hominum, ſæpe etiam Principum Corona, frequentiſsimo adoleſcentum cætu, apparatu ſplẽdidiſsimo, collatis auguſta cærimonia inſignibus, Pontificia Cæſareaque autoritate, conceptis verbis, ab Myſtagogo quopiam BACCIS LAVREATI, LICENTIATI, DOCTORES pronunciantur. Poteſtne dignitate iſta ad famam & celebritatem conſequendam efficacius quidpiam in florida ætate adhiberi? Quis in ſtudiorum palæſtris adeo obtorpeſcat vt hoc admoto ſtimulo identidem non excitetur? Quis adeo væcors ſit & tardus, vt in pulcerrimo iſto ſcientiarum ſtadio ad incitatiorem curſum non prouehatur? Nimirum hæ ſunt tres Coronæ, quas qui Athletarum conſecutus erat, Imp. Alexandri lege (vt eſt in decimo Codicis libro) ciuilium munerum vacationem vnà conſequebatur. Hi tres trium arborum fortunatarum, Myrti, Palmæ, & Oleæ, rami, quibus Olympici victores coronantur, hæ tres laureæ, quibus erudita Pancratiaſtarum capita, ab tribus ingenuarum Artium Præſidibus Apolline, Minerua, & Pythone rediminiuntur, hi tres gradus quibus ad celſiſsimam dignitatum tum Eccleſiaſticarum tum politicarum ſedem pertingitur. Si enim Theologus requiritur, ſi Iureconſultus, ſi Medicus, ſi Philoſophus; quis non eum expetat, quem

post tot in scholastico puluere exercitationes egregiè iactatum, post exquisitissima de Artibus illis ἑπτάμιτα celeberrimæ Academiæ calculo suo probatum amplissimis honorũ titulis condecorarunt? Quod si Ecclesiæ, quæ columen est & firmamentũ veritatis, ea de re sensum exquirimus, vt luculenta, quę Sacrosanctis Synodis, Viennensi, Basileensi, Lateranẽsi, iam olim sancita sunt de his gradi-

Conc. Trid. de Reform. cap. 1.

bus testimonia sileam, vna Tridentina superiore sæculo habita, quam beneuolè, imo vero quam honorificè de iis decernit? etenim ex grauissimis eius SC^tis, quinam in Ecclesiis Cathedralib. Episcoporum Pænitentiarij esse, eoq; nomine commodissimas, vt loquitur, præbẽdas indipisci debent? quinam Archidiaconorũ, quos Antistitum oculos nominat, munus obire? quinam officia & dignitates Scholasticorum obtinere? quinam Canonicatus in Amplissimis Collegiis consequi, nonne Magistri, Licentiati, & vel Canonici Iuris, vel Theologiæ Doctores? Scio tam honorifica Synodi decreta necdum vbiq; certas ob caussas in mores abiisse; in nobilissimis tamen aliquammultis Europæ nationibus quotidie magis magisq; efflorescunt. Itaq; cum nouos in Belgio Episcopat⁹ Catholicus Hispaniarum Rex Philippus excitaret, nouem primos Ecclesiæ cuiuslibet insignioris Canonicatus ita tribui mãdauit, vt ternos terni Theologi, cæteros Sacrarũ Legum Consulti, virique Nobiles ex æquo adipiscerentur; cumque haud multo post dubitatio interuenisset, an viros Nobiles etiã graduum Academicorũ titulis insignitos esse oporteret; decreuit Pontif. Max. oportere. Quod itaq; olim Sanctissimi Põtifices publicis diplomatis, laudatissimi quiq; omnis memoriæ Principes iudicio & autoritate sua, florẽtissimę resp. vsu & consuetudine cõprobarunt; illud Tui quoq; propositi, Serenissime Princeps, in hac Molshemensi Academia condenda stabiliendaq; fuisse, nemo est omnium Academicorum quin & oculis vsurpet, & simul animo

animo recolat, haud vulgarē cunctis necessitatē impositam esse, vt non eruditionē tantum, quam in hac Molshemensi Academia non ab Platone aliquo, Aristotele, aut Socrate infideli; sed ab Catholicis, Religiosis, Societati IESV ex voto addictis Professorib. cum virtute coniunctā edocti imbiberint; sed ipsos etiam quos cōsecuturi sunt Academicos honores ad Dei cumprimis gloriam immortalem, ad vitæ deinceps suæ, morumq; munimentum, ad salutem aliorum prouehendam, ad patriam suam, imò communē omnium nostrum, remp. Christianam instaurandam cōferre velint. Neq; verebor dicere, nulla perinde re omnium malorum satorem sartoremq; cacodæmona efferari, quam si autoritate impendioq; Principum Orthodoxorum Catholicam vbiubi Academiam aut nasci videat, aut reflorescere; vti quam intelligit esse propugnaculum quasi præsidiarium, e quo homines literati confectis militiæ literariȩ stipendiis & amplissimis disciplinarum insignibus ornati, ob Sapientiam cum religionis virtutisque studio sociatam ad præfecturas Vrbium, ad Regum & Principum cōsilia, ad Ecclesiæ dignitates, & in his omnibus ad mille animarum prȩdam sibi de faucibus eripiendam opportunis temporibus aduocantur.

CAPVT V.

ACADEMIAS, SICVT TYRANNIS EXOSAE FVERVNT; ITA Optimis rerumpubl. Gubernatoribus curæ semper cordiq; fuisse.

ERGO Satanicus ille furor ex ipsis Orci lacunis emersus, ostio sibi ad nocendum mortalium generi semel patefacto inter multiplices fraudum vias, quas struere perrexit, vt insitum hominibus scientiarum studium

suapte natura honestissimum, nouis quotidie inuentis tamquam toxico peruerteret; duo quasi extrema proposuit; alterum vt sapere nitantur plusquam oportet; id quod ab initio fategit, ex quo humani generis Parentem in amænissimo illo deliciarum horto aggressus, huc omnem belli apparatum admouit, vt cum cæca quadam sciendi cupiditate fastuque ingenij tumidum notissimisque illis tragædijs circumactum inuolueret; alterum vero postea laborauit, vt otio & voluptatibus dediti preciosissimam scientiæ possessionem vilipenderent; quod tum potissimum cœpit machinari, quando per Gymnasia literarum amplissimos solidissimosque in orbem Christianum fructus redundare animaduertit. Itaque cum patrum memoria cerneret frequentissimis auditorum classibus, celeberrimas passim Academias cum ingenti Sacrosanctæ Religionis incremento frequentari, & tum alibi, tum præsertim in Alexandrina Schola complures diuinarum humanarumque rerum cognitione excellentes viros Christianam remp. mirificè illustrasse; acerrimos orthodoxæ Religionis hostes suscitauit, qui cum in diuini cultus labem atque interitum coniurassent, Academiarum lucem Christianis vel extinguendam vel subducendam esse duxerunt. In his funesta illa humani generis fax furiarum tædis accensa, homo, vt cum Gregorio Nazianzeno dicam, omnium leuissimus, orbis Romani non tam Imperator quam euersor Iulianus, Catholicos Græcorum sapientiam attingere edicto vetabat, atque vt fraudulentum consilium callidissima vulpes pietatis colore purpuraret; ne rebus, inquiebat, inutilibus & superstitiosis, quas, vt fabulas traducerent, occuparentur. Sed detraxit laruam Basilius, & luculento libro, quem de vtilitate capienda è libris Gentilium inscripsit, ciusque secutus exemplum Gregorius cognomento Theologus, & Cyrillus manifestissimis argumẽtis illud hominem fraudibus

Euseb li. 5. hist. Eccles. cap. 10. Nicephor lib. 10. cap. 26.

Orat. prima in Iulianum.

Cyrill. li. 8.

dibus atque amentia virulentum agitare docuerunt, vt ereptis ingenuarum Artium disciplinis, inscitia & ruditate deprauati Christianorum animi, deterrimis sese flagitiorum vncis constringendos raptandosque dederent. Et merito literarum omnium memoria indignissimus habitus est C. Licinius Tyrannus, qui tyrannico plane ingenio literas pestem reip. dicere, illudque suo elogio symbolico præferre non erubuit. Aspiciamus vno non corporis, sed, quod possumus, mentis obtutu Palæstinam, Ægyptum, Armeniam, Asiam, Africam, adeoque vniuersum Orientē, vbi nobilissima quondam scientiarum emporia vna cum Ecclesijs per viros Apostolicos gubernata steterunt; importunissima nunc durissimaque tyrannide, Ottomannico furore haud mitius in literas quam in religionem debacchante, videbimus proculcata. Propinquam Germaniæ Pannoniam obeamus, & omnem illam lustremus regionem, quam vel impia Mahometis secta, vel nefarius Sultanorum ensis fædissimè deturpauit, videbimus certo documento, Palladem & tyrannidem, amorem Artis & Martis furorem, studium virtutis & odium literarum vnius imperij domicilio non posse contineri: quod si in propinquiores quasdam Europæ regiones & florentissimos olim principatus animorum aciem intendimus; an non Academicorum studiorum velut neruis elisis ac recisis, non tam pace & dignitate assurgere, vti antea resp, quam ciuitatum atque impiorum ruinas & proiecta quædam cadauera, quod sine gemitu dici non potest, contabuisse intuebimur? Et quis ignorat, quod Iureconsultorum Princeps expressit, proprium esse tyrannorum, eripere præsidia libertatis, mutuam animorum conciliationem tollere, inspirare feritatem, mansuetudinem labefactare? At vero Principes, qui se ideo populis datos meminerunt, vt velut Patres sint ac protectores, quique in consilio habent Ecclesiæ fideique periclitantis cre-

tis creditam sibi tutelam rite atque ordine gerere, illud ad exemplum maiorum sibi vnicè curandum duxerunt, vt literas & eruditionem, quasi munitißima incolumitati suorum stabiliendæ propugnacula, fauore quanto possunt maximo prosequerētur. Exinde videlicet publico ære, maximis impendiis, augusta munificentia, multiplici scientiarum genere instructos viros, èque diuersis orbis terrarum plagis sollicitè anquisitos id vnum agere voluerunt, vt disciplinarum fontes aperirent, & literatißimorum hominum panegyres conuocarent; vt qui tum egregiè constitutam se remp. habere crederent, si hac indissolubili religionis & eruditionis compage per Academias firmaretur. Quod illum non bellicis modo, sed literatis etiam Laureis fortunatißimum Iulium Cæsarem factitasse meminimus, illud enixè animo voluentem, vti quam plurimos eruditionis caussa literarum Doctores Romam accerseret; quos vt largißimis annonarum fundorumque vectigalibus; ita Auditores ciuitate donabat. Atque vt prætercam Augustum omnium prouinciarum iuuētuti optimos moderatores haud minore cura, quam ipsis prouinciis Præsides destinantem, Claudium item Augustale in vrbe Roma imperatoriis impendiis Athenæum excitantem, Traianum Neruam adeo in Gymnasiorum amplitudinē effusum, vt ad bonas literas Imperio afferendas de cęlo missus crederetur, Antoninum cognomento Pium ad erudiendam liberalibus disciplinis adolescentiam noua per omnes prouincias Philosophis & Rhetoribus salaria, nouosque honorum titulos deferentem; Gordianum postea & Seuerum Academiam Romę constitutam sæpenumero inuisentes, vt augusta sua præsentia quasdam velut faces tam Auditoribus, quam literarum Doctoribus subiicerent; Caium item Imperatorem decantatißimæ Lugdunensis Academiæ Conditorē, vbi quotannis maximo totius Galliæ Italiæque concursu,

memo-

memorabile poëseos atque eloquentiæ certamen ab exercitatiſsimis quibuſque earum Artium palæſtritis edebatur; Conſtantinum rebus geſtis & nomine Magnum, quem Aurelius Victor nutritorem bonarum Artium vocat, laudatiſsimi exempli Catholicis Principibus Imperatorem producam; qui cum omnia bonarum Artium ſtudia tum ad Chriſti Religionem longè lateque propagandam, tum ad tuendum imperium efflorеſcere deſideraret, Licinio tyranno, immaniſsimo tam fidei, quā ſapientiæ hoſte ſubacto, grauiſsimam illam Conſtitutionem edixiſſe fertur, qua de annonis in Profeſſores liberaliter erogandis cauit, & in Iuſtinianæum deinde Codicem relata eſt. Apud Iuſtinianum vero ipſum, Agathia, qui eo imperante vixit, referente, non literæ modo, conſtitutis diſciplinarum domiciliis amænam & gratam ſtationem inuenerunt; ſed earum quoque Doctoribus, quos mirificis ſtipendiis ad ſe inuitabat, id honoris habitum eſt, vt triclinia, theſauros, opes, fauoreſque iis patere vellet, vt ne Mæcenas quidem ille Romanus Horatio ſuo fauentior, nec Maroni Pollio, nec Meſſalla Catullo, nec Philippus Ariſtoteli, nec Dionyſius Heliconi Ciziceno, quam optimis quibuſque Profeſſorū Iuſtinianus crederetur. Quis vero neſcit Gratianum quietis à bello rebus, ſtudia literarum coluiſſe, vt in iis ornandis egregiam publice priuatimque munificentiam collocarit? etenim Auſonio Præceptori ſuo, viro eruditione multiiuga clariſsimo, quem à quæſtura ad prætorium munus in Gallia gerendum extulerat, imperatorio reſcripto in mandatis dedit; vt per omnem diœceſin ſibi commiſſam frequentiſsimis ciuitatibus, quæ pollent & eminent claritudine Præceptorum, optimi quiq; iuuentuti erudiendæ præſiderent, & ſingulis vrbibus, quæ Metropoles vocantur, nobilium Profeſſorum electio celebretur.

L. Medicos. C. de Profeſſorib. & L. 1. & 3. Cod. Theodoſ. de Medicis & Profeſſoribus.

Quibus

Quibus rebus id consequebatur Imperator, vt hoc æuo Galliæ facies pæne esset eadem quæ Italiæ, quâ liberalibus Artibus ac studiis, quâ claritudine magistratuum & nobilium familiarum copia; cum vbique ciuitates illustribus habitatæ prosapiis Coss. Procoss. Præfectos, Comites, Vicarios, aliosque id genus honorum potentes educerent, & Scholæ elegantissimorum ingeniorum laudibus paterent; è quibus modò Romam, modò Constantinopolim tum ad cathedras totius Orbis eminentes, Professores, tum ad tribunalia, æqui boniquе vindices sufficerentur. Neque hic Petronium Byzantinum prętereibo, vt etiam intelligant heterodoxi nostri, non minus opum & potentiæ, quam sanctitatis & sapientiæ antiqui etiam sæculi Episcopis fuisse. Is sub Annum CCCC. XXX Bononiensium Antistes, Vrbem Bononiam Cænobiis compluribus, Ecclesiisque insigni magnificentia, Ecclesias vero non amplissima tantum annuorum censuum dote, sed Sanctorum etiam lipsanis exornauit. quem deinde præ aliis Sanctissimis eiusdem Ciuitatis Præsulibus idcirco potissimum Bononienses in Diuum Tutelarem adsciuerunt; quod ad cumulum aliorum benefactorum ab Theodosio Magno Imperatore illud impetrarit, vti hæc patria Generali scientiarum omnium, vt vocant, Studio, siue Academia condecoraretur, quam ab se institutam, magnis etiam priuilegiis mirificè dotatã, Cælestini I. Pontificis Maximi autoritate stabiliendam curauit. Extatque in diplomate Augustali luculentum testimonium, mores, sanctitatem, militiam, cæteraq; id genus reip. commoda optimis doctrinis gubernari. Ipse vero Theodosius quam arctè sit Academicos Professores complexus, si alia omnia abessent, vel illud nobis argumento sit, quod & impia Iuliani edicta de Scholis euertendis antiquarit, & quo pristinum iis vigorem redderet, lege insu-

Gabr. Paleot. in Archiep. Bononiens.

per

per ſanciuerit; ſi quis Profeſſores vexauerit, centum millia numûm ab Magiſtratibus ſiue Quinquennalibus (quos Ciuitatum Defenſores ſtatuit) exigi & ærario inferri oportere. Hic iam denuo in Caroli verè Magni laudes & encomia patentiſsimus mihi campus aperitur. quem non puduit aut tot Martis manubias cum literarum ſpoliis triumphisq; coniungere, aut loricatum armorumque pondere preſſum & ſudore manantem in Academiarum ſubſelliis acquieſcere, aut lituorum tympanorumque clangoribus ſonisq; aſſuefactum, aures perquam placidè tenuibus Gymnaſiorum ſuſurris dedere; quique in peramplos Muſarum lares ab ſe conſtitutos ingreſſus, (quod in Pompeio laudauit antiquitas) neq; conſilio ſuo alienum, nec ſordidum Principi, nec Cæſari turpe duxit, diſciplinarum Magiſtros, quos indulgentiſsimè fouebat, curioſè de omni ratione literas docendi, ac pæne minutim percõtari; adeoq; Imperatoriam maieſtatem vltro ad literariũ puluerem abiicere nõ dubitauit. nec degeneres ab hoc Parentis in literas amore Ludouicos alterum Diuum, alterũ Pium comperimus, qui florentiſsimas tot ſeculis Academias, quas amantiſsimus Parẽs publico fidei bono in mediis regni Francorum viſcerib. collocatas capitalibus fidei pudorisq; hoſtibus, quaſi inexpugnabile vallum obiecit, muneribus regiis locupletarunt, honorariis prærogatiuis ampliarunt, illaq; velut inexhauſta decorum amplitudine vniuerſo terrarum Orbi notiſsimas celeberrimasq; effecerunt. Eandem planè mentem Deus Ioanni id nominis IV. Brabantiæ Duci iniecit, qui cum eſſet omnibus religioſiſsimi Principis ornamentis exultus, bonarum etiam Artium patrocinium ſuſcepit. Itaque Academiam Louanienſem ex Pariſienſi tanquam traducem, accerſitis vndique viris doctiſsimis, ſub annum reparatæ ſalutis CIↃ, CCCC. XXVI. dato à Profeſſoribus pridie

L. 1. C. Th. de Medicis & Profeſſoribus.

Natalis Deiparę docendi initio constituit, quam se Pontificis Maximi Martini V. autoritate, patriæ bono, religionis munimēto in Pragensis Academiæ locum (quam Hussitarum secta sub idem tempus dissipauerat) condidisse publicis literis contestatus est. Vides igitur, SERENISSIME ARCHIDVX, optimos quosq; omnium ætatū Principes, qui res pręclaras memoriaq; dignas gesserunt, eosdē & sapientiæ laude insignes, & domiciliorū, quibus sapientia comparatur, Parentes fuisse; nec minus, (quod in Cōstantino Duca doctissimo Imperatore suspexit Curopalata,) voluisse ab eruditione, quam ab Imperio cōmendari. neq; enim fieri posse animaduerterunt, vt magnus excelsusque animus, qui rebus caducis neglectis memoriam æternitatis ante oculos habeat, nō etiam disciplinarum Liberalium Academias æternitatis procreatrices summo studio complectatur. Neq; alios fere Principes literas vel odisse vel contempsisse, maiores nostri prudentissimè viderunt, quam qui vita per ignauiam & flagitia turpiter acta, posteritatis cōscientiam reformidarunt. vt non minus verè, quam eleganter Claudian⁹ nobis cecinisse videatur; *Gaudet enim virtus testes sibi iungere Musas.*

Ioã. Curopalat. in vita Const.

Nec virtus tantum; sed fides etiā Orthodoxa tum demum illibatam sibi integritatem despondet, vbi Principes Catholicos hoc literarum per Academias cōmercium, sicubi iacuerit, videt quibuscunque possunt modis, resarcire.

CAPVT VI.

ACADEMIAS CATHOLICAS TVM FIDEI ORTHODOXAE PROPVgnandæ, tum Hæresibus propulsandis Acropoles esse munitissimas.

SIQVIDEM Ecclesiam Orthodoxam integerrimam Dei Domini Sponsam, Magistram fidei, beatioris vitæ Ducem,

Ducem, columen veritatis ita Deus vel ab ipsis cunabulis primum quidem per tyrãnos barbara feritate grassantes; deinceps vero per hæreticos canina dicacitate oblatrantes exerceri voluit, vt istis, ceu mitissima cælestis Agni Sponsa, & tota niuea sine cornibus atque armis agnella, infractum patientiæ clypeum; illis inuiolabilem Sapientiæ parmam, quasi Palladis ægida obtendens, pari generositate & gloria, de vtrisque semper victrix atque inuicta triumpharet. Ergo cum veteratorio Apostatæ Iuliani Academiarum Gymnasia omnemq; Libb. Scientiarum eruditionem proscribere parantis astu, nihil proficeret, aliam fraudis technam Princeps tenebrarum inuenit; vt videlicet vana solidis, conficta veris, & orthodoxis heterodoxa furtiuè supponeret. Sicq; veteres & receptas disciplinas fraudulenter interuertens, adumbratis nouarum opinionum commentis in ipsa Dei arcana & tremenda mysteria virus suum transfundere tortuosus ille coluber parauit. Quid enim aliud per Maximum tyrannũ clandestinis consiliis agitasse putemus, qui cum mille tormentorum generibus, barbara immanitate, casso tamen semper triumpho Christi Ecclesiam diuexasset, astu & calliditate consequi cogitabat, quæ violẽtia & crudelitate nequidquam tentauisset. Edixit namque conscribi librum, cui acta Pilati titulus esset, horrenda in Christum mendacia, sexcentas calumnias, blasphemiasque complectentem, quem librum omnes iuuentutis Moderatores pro scholis legere adigebantur, vt impietatem à teneris Auditores cõbiberent, & Christi odio deprauati, eos in omnem vitam detestarẽtur, quos exitiabiles & pestiferos esse in cærea illa ætatis teneritudine accepissent. Hoc nefariũ impietatis cõsilium nostra quoq; tempestate Lutherani in Germania, in Galliis Hugonoti sub ipsa sæuientiũ hæresum primordia complexi sunt, qui multa quâ soluta oratione, quâ mordacibus Satyris, theoninis versib. non tam Phæbi, quam Satanæ instinctu effusis, aduersus Christi in terris Vicariũ, Ec-

clesiasticos viros, recepta Ecclesię dogmata eleganter quidem & facetè; sed falsò tamen & impiè lucubrata in vulgus emiserunt; quæ deinde pro scholis adolescentes condiscerent, vt veneno dulciter in viscera destillante, per omnem vitam mordicus tenerent, quæ in flore ætatis tamquam credenda sibi seruandaque perniciosè arripuissent. At vero omni dolo præpollens Dei Sapientia nō sustinuit fœcundum illud & fertile scientiarum triticum tam pestiferis zizaniis in agro Dominico suffocari; quin potius Summorum Pontificum autoritate & vigilantia, celeberrimis item grauissimorum ex omni ferè Christiani orbis plaga Doctorum congressibus, nouis etiam per singulas prope hominum ætates SC^tis de Gymnasiorum instauratione promulgatis factum est, vt sanctum hoc & salutare germen semper reuiresceret, & floridius indies solidiusq; confirmaretur. His enim velut lituis excitati rerumpub. Vindices sibi gloriosum, suis opportunum imò necessarium fore sapientissimè iudicarunt, vt in sua pro se quisq; ditione certa ac destinata tum mansuetioribus Musis, tum seuerioribus disciplinis domicilia, quasi publica quædam ad Sacri belli aduersus omnem impietatem vsum armamentaria conderent; quibus velut in quadam sciamachia bonarum Artium studiosi ad solidam germanamque maiorum fidem ac pietatem vna cum literis combibendam, ad debellandos, sicubi opus foret, sinceræ religionis hostes exercerentur. Hæc siquidem integritatis sacraria, liberalium doctrinarum phrontisteria, palæstræ virtutum, quibus vniuersæ disciplinarum copiæ vel ad vitiorum & scelerum expugnanda monstra, vel ad turbulentos hæreseon impetus ab Ecclesia propulsandos cōparantur. Scio multis hodieq; librorum argumentis, & vario lucubrationum apparatu inquiri, sitne aduersum hæreses armis & vi propugnanda Religio: qua in lite multi omnis eruditionis & priscarum legum morumque callentissimi, suadent vbi mem-

In Tomis Cōciliorū. In Decret. toto tit. de Magistris. & Clementina 1. de Magistr.

membra quædam fide, tamquam sanguine & spiritu carere cœperint, medicorum exemplo vstioni & sectioni aliquando indulgendum; quin &

------ immedicabile vulnus

Ense recidendum, ne pars sincera trahatur;

Et illi quidem se maiorum exemplis tuentur, qui optimi religionis orthodoxæ Magistri, licet vt agni quidam nouelli, & ouium instar mites essent ac placidi; non ignari tamen esse se Ecclesiarum Principes, iustosque sæcli Iudices, seueriorem hanc potestatis vim facto ipso aduersus Simones, Elymas, Alexandros, Hymenæos, aliaque vixdum adolescentis disciplinæ Christianæ carcinomata, capite, morte, cæcitate, dirissima Satanæ vexatione ad vsque carnis interitum multifariam sanciuerunt. Alij religionis violatę iniuriam meliorib. ipsorummet Principum exemplis reparari; atq; pertinaciam eorũ qui dissentiunt, legib. atq; edictorũ seueritate cohiberi existimarũt. Sunt qui Sacrosanctũ fidei tribunal hostib. fidei, ceu antidotũ veneno prouidentissimè opponi censuerunt; cuius instituti viuidam imaginem & aliquot abhinc sæculis Raymũdus Tolosæ Comes in Albigensium reliquiis tollendis orbi Catholico exhibuit; & quo ipso anno Germaniæ nostræ pestis & lues, Islebicus Hæresiarcha in lucem prodiit, sicut iam antea in regnis Castellæ & Legionis, ita in Aragonia, Valẽtia, Catalaunia, Catholici Hispaniarum Reges instituisse laudantur. Et sunt quidem hæc remedia nec priscis ignorata rerumpubl. Parentibus, nec inefficacia curationi, quibus laboranti populo succurri, & pestiferarum hæreseon veternus excuti opportunè posset; si quis tamen intermissa omni seueritate, metuque ac terrore longè positis, spacia ad resipiscẽdum idonea permittere velit; si phrenesin animiq; furorem, vti hodie vide-

Papir. Mason. lib. 3. in D. Ludouico.

 mus,

mus,cum obstinatione & peste quadam odij medullis insiti eousque processisse aduerterit, vt neque Pastoris, neque Doctorum ducatum oues agnoscant; sed deuio tramite illorum errorem errent, qui, qua volunt, præeunt; nulla sane medendi curandique ratio accommodatior poterit admoueri; quam si Doctores Catholicos & optimos rerum diuinarum interpretes identidem Christiani Principes emittant, qui simul eruditionis lucẽ cum animi virtute morumq; disciplina inferant, oratione suadeant, monitis saluberrimis excitent, illudq; omnib. pacis Artibus pugnent, vt posita tandem cõtumacia mansuescant,

------ quibus ingenium est immansuetumq; ferumq;,
Armeniæ tygres, iracundiq; leones.

Huius autem exercitationis campum & palęstram in literarum Gymnasiis atq; Academiis sitam esse oportebit: quod inde fiat, vt adminicula veritatis & doctrinæ sincerioris præsto sint, quibus hostium artes & ludibria perspici, frangi impetus, & ab rudium capitibus vis omnis arceri possit. Enimuero, sicut ea in Principibus remissio ac lẽtitudo detestabilis est, qua omnes priscæ seueritatis nerui in tuenda Catholicæ religionis gemma inciduntur; ita videmus, quod Te nõ fugit, SERENISSIME PRINCEPS, per Academiarum vel institutionem, vel reparationem stetisse respublicas, refloruisse ciuitates, ingenuos mores atque honestatem enituisse, reuixisse fidem, & cum fide pleno cornu beatam quandam omnium rerum copiam atque vbertatem rediisse. nunquam enim, vti quondam Africam nobilissimam orbis terræ portionem, Persarum, Arabum, ac denique Saracenorum barbarie subiugatam; ita hodie nõ obscuros Septemtrionis & Occidentis quosdam artus, tamquam oculos reip. Christianæ effossos lugeremus, si sua optimarum Artium Academiis statio indiuulsa perdurasset. Nec longa quidem oratione certandum est, vt euincatur quod & præteriti temporis ætas, & perpe-

perpetua sæculi huius experientia, & obuia passim hac memoria tot ad auitam religionem respicientium populorum exempla clarissimè docuerunt. Videlicet vt è sentibus dumisq; Agricolarum industriâ sæpes atq; maceriæ ad fures ferasq; arcendas struuntur; ita Catholicorũ Professorum solertia in eo quam maximè exercetur, vt è vitiosis hereticorũ spinetis animam ipsam grauissimè faucientibus, Dominici agri sæpes ita purgetur, vt iisdem etiam Orthodoxa fides, errorib. procul abolitis, integrior elucescat. Sanè in Academiis vident Auditores, ciues, tribules, vicinosq; crebris transfugiis atq; apostasia damnabiles, dum recentibus & heri natis dogmatis adhærescũt, ea sacra complecti quæ nunquam eorum maiores didicerunt, ea deserere quæ iurati Deo promiserunt: vident Catholicos Christianæ religionis puritatem ab temporibus Apostolicis inuiolatã, tamquam suam sibi rem à maioribus iustè partam possessamq; vindicare: vident iis sibi sectis nec fauendum esse, nec nomen dandum, quas nulla diuina humanaq; vel probabilis autoritas aut commendauit vnquam, aut persuasit; imo quas omnium temporum laudatissimi quique exemplo suo refutarunt, ipseque totius Christiani orbis consensus, grauissimis edictis explosit. Quod vti suo experimento didicit, ita velut sorex, indicio Lutherus prodidit, quando sub annum partæ salutis M. D. XIIX. Augustæ Vindelicorum primum ab Doctoribus Academicis coram Cardinale Caietano, deinde vero sub annum M. D. XIX. cum Lipsiæ coram Ioanne Eckio Treuirensis Antistitis Cancellario in arenam descendisset, postquam omnium Academiarũ calculis scripto consignatis, transmissisque, Basileensis nominatim, Friburgensis, Louaniensis, postea etiam Erphordiensis, ac tandem Parisiensis Anno M. D. XXI. publico decreto XV Aprilis, præuio Doctorum iureiurando, dato, ipse manifestæ hæreseos reus solemni censuræ: libri vero pestiferi, vltricibus flammis addicebantur.

Cochlaus in vita Luther.

Nimirũ hinc venenati illi dira frementes aculei, hinc illæ non lingua tantum & patulo gutture, sed calamo etiam & libris palam effusæ aduersus Academias vociferationes, quæ vel è spissa quadã rusticitate, vel ex arrogantia inuidiaque, vel demum ex virulento exulceratæ mentis odio profluxerunt. Vt insania, qua Wicleffus antea, Vniuersitates studia collegiaq; studiorum, gradus item & magisteria vana duntaxat garrulitate introducta, & tantum prodesse quantum prodesset diabolus, insolentissima debacchatione effutiuit, Cõstantiensi Synodo & rationibus repressa, & decretis condemnata; Lutherum inuenerit assertorem; qui cum articulos Wicleffi vt verissimos, Christianissimos, & Euangelicos collaudarit; impie, vt loquitur, à Christi Vicario, impie à Concilio damnatos; facile colligere est, Lutheri de Academiis iudicium nihil dum à Wicleffo discrepasse. Et quid expressit aliud, quando Academias Antichristi lupanaria, stabula asinorum, diabolorum Scholas, & sigillatim, Parisiensem Sodomam, Louaniensem Gomorrham appellauit? Nec mitiorem sese in membra & Facultates, e quibus Academiæ coalescunt, exhibuit; qui eam, quæ ratione ac via in Scholis traditur, Theologiam profanam, Iuridicam facultatem omnium spurcissimam, Aristotelis Physicam omni ætati inutilem, adeoque dignam cui Ouidij metamorphosis substituatur; Ethicam pessimam gratiæ inimicam, nec nisi ad verborum contentiones excogitatam; Philosophiam denique vniuersam adolescenti haud secus ac mortem animæ detestabilem

Vid. Cochlæũ in Act. Luther. an. 18. 19. 21. & 29.
VVicleff. art. 28 Sessione 8. & 15.
In assert. art tom. 2 VVittenb.
Præfat lib. de abrogã. da Missa priuata. to. 2. lat. VVittenb.
lib. contra Henr. Regẽ Angl.
Lib. contra Latomum.
Lib. contra Catarinũ. tom 1 ep. st. lat VVitt. ep. 54 & ep. 78 91. 100 & epist. contra Eckium.

ſtabilem ſcripſit, Doctorum & Magiſtrorum titulos laruas, Canoniſtas dæmones, aſinos, porcos, Sophiſtas; Satanæ ſpiritu adflatos Decretales; Ariſtotelem ipſum vaferrimum ingeniorum illuſorem, tricipitem Cerberum, tricorporem Geryona, vaſtatorem Eccleſiæ, logodædalum, beſtiam nuncupauit. quid quod Academiarum Conditores Væ illud quod in D. Ioannis apocalypſi expreſſum eſt, terris ſuperinduxiſſe aſſeuerat? Noui frequentes infruniti oris tum aliubi, tum præſenti re, de qua nunc agimus enantilogias, ſua ipſius crebrò vineta cædentis, & bilinguem, imò biſulcum eodem ore nunc calidum nunc frigidum efflare. At hæc omnia nihil Academias obruerunt, iuuerunt potius, vt vel iam antea conſtitutæ ſolidius firmarentur, vel nouę ab ipſis fundamentis educerentur; quas prudentiſsimi quique Principum pietatis & ſapientiæ arces, quodque de Colonienſi, atq; eius filia Louanienſi Pius II. Pontifex Maximus quondam dixit, agri Dominici piiſsimas religioſiſsimasque cultrices appellarunt. in quarum numerum hanc Tuam quoq; Molshemenſem, SERENISSIME ARCHIDVX, venturam eſſe certiſsimis ominibus exinde auguramur, quod eam tum demum in tuto collocatam arbitratus es, poſteaquam illam ſolidiſsimo primæ Sedis tamquam petræ fundamine, ringentibus licet & liuentibus, non tam amuſis & aſophis, quam impiis & atheis noſtri æui Zoilis, ſtabiliuiſti.

Apoc. c. 9. to. 2. VVitenb. lat. edit.

CAPVT VII.

ACADEMIAS CATHOLICAS NON MINVS SVMMORVM PONtificum, quam Principum & Impp. autoritate firmandas esse.

SED benè habet, quod vim eam inuidiæ veteres explicarunt, vt licet inter malorum pessima hoc vitium censerent, id tamen in ea boni dicerent inesse, quod non oculos tantum, sed corda exederet consumeretque inuidorum. Prorsus gemellum quiddam iis euenire perspicimus, qui vel honoris æmulatione, vel tantæ maiestatis odio, quantam Deus in Supremos Ecclesiæ suæ Gubernatores atque Pontifices liberali manu profudit, non furore solum & irarum facibus inardescunt; sed maledicendi œstro longius prouecti, Deûm hominumq; fidem aduersus summum Christiani populi caput implorant, adeoque omnia moliuntur, vt pulcerrimo Hierarchici ordinis discrimine penitus sublato, Sacratissimos Viros ad infimæ plebis quisquilias relegare non vereantur. Et quia lusciosis ac hirquis oculis sublime hoc Ecclesiastici honoris fastigium intuentur, ex eo fit, vt vel splendore dignitatis perstricta, vel maleuolentiæ glaucomate suffusa illorum acies, quid pulcritudo conuenientiaq; capitis & partium, quid ordo, quid hierarchiæ dignitas postulet, nec prudenter satis nec acutè peruideant. At vero prudendentissimus quisq; sicut tam læuas hominum mentes deplorat, quos ira pariter inuidiaque præcipitarunt; ita Dei Opt. Max. sapientiam & gubernandi rationem ab æterno consilio profectam suspicit & veneratur, qui cum primigenium in orbe fidelium cætum, per maiores natu filios, eosdemque Principes & rerum Sacrarum interpretes, per Patriarchas deinde, qui iidem Reges & Sacerdotes, per Ponti-

Pontifices, qui iidem Iudices Ducesque populorum, gubernari voluisset; is Ecclesiam suam à Filio suo Rege ac Pontifice sapientissimè constitutam, post multiplicem in Religione tuenda exercitationem, vbi persecutionum ventilabro eam excusit & repurgauit, eo tandem ornatu atque amplitudine splendoris circumdedit, vt Reges & Imperatores semetipsos quasi sceptris ac regnis exspoliantes, Summum Ecclesiæ Pastorem non colerent modò, & in dubiis consulerent; sed amplissimis etiam imperiis donarent, illique nobilitatem, honores, opes accumulantes, oraculum illud Prophetæ in Capitibus Ecclesiæ pulcrè explerent; pro eo quod fuisti abiecta (quid enim olim apud Gentes vilius abiectiusue Christiano?) ponam te in superbiam populorum. Et vero pro explorato habent periti rerum diuinarum, quæ in veteris reipubl. statu gesta sunt, quæque à Deo sapientissimè in cultu & disciplina Religionis constituta; eadem in noua & ab Christo fundata republ. cumulatius longè atq; perfectius exhibita fuisse, siue dignitatem Sacrorum, siue Ministrorum potestatem, siue præstantiam functionum, siue denique hierarchici Capitis amplitudinem animo contempleris. At quorsum ista, SERENISSIME PRINCEPS? videlicet, vt perspiciat Orbis Christianus, legitimè atque ordine tum ab Orthodoxis Proceribus hactenus, tum abs Te, REVERENDISSIME PRÆSVL, laudatissimo illorũ exemplo factũ, quod Cathedræ Petri cõmunione sociati, super illam Petram vestras quoq; Academias collocastis, cui Deus ipse suam Ecclesiam solidissima compage munitam inædificauit. Quid enim? si apud veterem populum Deus Sacerdotali culmini autoritatem conciliauit, vt per cæleste illud ac diuinum λογιον triplici gemmarum ordine contextum (cuius vim Doctrinæ & Veritatis nominibus Latinis, in Vrim & Thummim Hebræis vocibus expres-

Esa. 60.

Vid. Nicolaũ Serar. in Iosue.

CAPVT VII.

ACADEMIAS CATHOLICAS NON MINVS SVMMORVM PONTIFICUM, quam Principum & Impp. autoritate firmandas esse.

SED benè habet, quod vim eam inuidiæ veteres explicarunt, vt licet inter malorum pessima hoc vitium censerent, id tamen in ea boni dicerent inesse, quod non oculos tantum, sed corda exederet consumeretque inuidorum. Prorsus gemellum quiddam iis euenire perspicimus, qui vel honoris æmulatione, vel tantæ maiestatis odio, quantam Deus in Supremos Ecclesiæ suæ Gubernatores atque Pontifices liberali manu profudit, non furore solum & irarum facibus inardescunt; sed maledicendi œstro longius prouecti, Deûm hominumq; fidem aduersus summum Christiani populi caput implorant, adeoque omnia moliuntur, vt pulcerrimo Hierarchici ordinis discrimine penitus sublato, Sacratissimos Viros ad infimæ plebis quisquilias relegare non vereantur. Et quia lusciosis ac hirquis oculis sublime hoc Ecclesiastici honoris fastigium intuentur, ex eo fit, vt vel splendore dignitatis perstricta, vel maleuolentiæ glaucomate suffusa illorum acies, quid pulcritudo conuenientiaq; capitis & partium, quid ordo, quid hierarchiæ dignitas postulet, nec prudenter satis nec acutè peruideant. At vero prudendentissimus quisq; sicut tam læuas hominum mentes deplorat, quos ira pariter inuidiaque præcipitarunt; ita Dei Opt. Max. sapientiam & gubernandi rationem ab æterno consilio profectam suspicit & veneratur, qui cum primigenium in orbe fidelium cætum, per maiores natu filios, eosdemque Principes & rerum Sacrarum interpretes, per Patriarchas deinde, qui iidem Reges & Sacerdotes, per Ponti-

Pontifices, qui iidem Iudices Ducesque populorum, gubernari voluisset; is Ecclesiam suam à Filio suo Rege ac Pontifice sapientissimè constitutam, post multiplicem in Religione tuenda exercitationem, vbi persecutionum ventilabro eam excussit & repurgauit, eo tandem ornatu atque amplitudine splendoris circumdedit, vt Reges & Imperatores semetipsos quasi sceptris ac regnis exspoliantes, Summum Ecclesiæ Pastorem non colerent modò, & in dubiis consulerent; sed amplissimis etiam imperiis donarent, illique nobilitatem, honores, opes accumulantes, oraculum illud Prophetæ in Capitibus Ecclesiæ pul- *Esa. 60.*
crè explerent; pro eo quod fuisti abiecta (quid enim olim apud Gentes vilius abiectiusue Christiano?) ponam te in superbiam populorum. Et vero pro explorato habent periti rerum diuinarum, quæ in veteris reipubl. statu gesta sunt, quæque à Deo sapientissimè in cultu & disciplina Religionis constituta; eadem in noua & ab Christo fundata republ. cumulatius longè atq; perfectius exhibita fuisse, siue dignitatem Sacrorum, siue Ministrorum potestatem, siue præstantiam functionum, siue denique hierarchici Capitis amplitudinem animo contempleris. At quorsum ista, SERENISSIME PRINCEPS? videlicet, vt perspiciat Orbis Christianus, legitimè atque ordine tum ab Orthodoxis Proceribus hactenus, tum abs Te, REVERENDISSIME PRÆSVL, laudatissimo illorũ exemplo factũ, quod Cathedræ Petri cõmunione sociati, super illam Petram vestras quoq; Academias collocastis, cui Deus ipse suam Ecclesiam solidissima compage munitam inædificauit. Quid enim? si apud veterem populum Deus Sacerdotali culmini autoritatem conciliauit, *Vid. Nico-*
vt per cæleste illud ac diuinum λογίον triplici gemmarum *laũ Serar.*
ordine contextum (cuius vim Doctrinæ & Veritatis no- *in Iosue.*
minibus Latinis, in Vrim & Thummim Hebræis vocibus

expressam, hodieque Theologi inquirunt) consultus rogatusque, tamquam gemmarum lucentium oraculo, & res inuolutas ambigentibus ostenderet, & responsa consulentibus daret, & facti infectiq; rationes per Summum Sacerdotem aperiret: quis tam humiliter, tamque abiectè de perfectissima, quam Christus ipse lege sanciuit, Hierarchia, & absoluta Christianæ reipubl. forma sentiat, vt Pastorem illi & Principem dedisse suspicetur, aut conditione muneris, aut magnitudine potestatis, aut splendore functionis Aaronico Sacerdote inferiorem? Quo magis potentissimi Cæsares & fortunatissimi nationum Victores (id quod Serenissimæ Domui Austriacæ domesticum fuit ac familiare) ex hac vna re vel maximam petiuisse laudem visi sunt; non tantum si prouincias, si terras, insulas, oppida in Pontificis Maximi iure ditioneque retinerent; nec, si regna duntaxat & diademata tributaria facerent; verum etiam, si nihil quod maioris ducerent momenti, auspicarentur; quod non prius ab Sede Apostolica, tamquam viuo & indubitato diuinæ voluntatis oraculo adprobaretur; idque eo amplius, eoque demissius, quod talibus religionis erga Christi Vicarium obsequiis præclarè cultis, felicitatem sibi velut sub manu accreuisse certis experimentis condidicissent. Neq; vero vnquam maiorem Christiana Respubl. tempestatem adiit, nec sæuioribus Ecclesia procellis iactata est, quam cùm membra letalibus dissidiis ab suo Capite diuulsa, dolore, quos ad eam diem senserat acerbissimo, ad vnius capitis coagmentationem nequiit reuocare. Atque vt execrabilis tyrannidis est, Deo & cælitibus legem dare, inuersus etiam monstroque simillimus ordo, quo caput pedibus, Religio politiæ substernitur; ita & Christianæ prudentiæ est & iustæ pietatis, illum, quem omnes tot retro sæculis Christiani Principes, omnesque Orthodoxi Academiarum Parentes, ipsæque adeò Academiæ summum semper Præceptorem,

C. Iustin. de Summa Trinit. & fid. Cathol. L. nos reddentes. Clemẽt. V. de Iureiurando ca. 1. lib. 2. Clem. cap. Rom. Principes.

Ducem,

Ducem, Vrbis & Orbis Episcopum coluerunt, agnoscere, & ad illum vti non animarum tantum, sed etiam ad Academiarum Pastorem, ne quid forte vacillent, conuerti: cuius Sedem, sicut solam inuiolabilem atque Apostolicam esse credimus, ita soli eius Pontifici vniuersæ Ecclesiæ clauium immortali Dei munere commissum esse profitemur. Enimuero cum Academiæ, quod supra diximus, Religioni firmandæ constitutæ sint; Religionis autem potissimum munus sit membra capiti, Pastori oues cōcordare; tum demum Academiæ magno Christianæ reipubl. commodo vbique terrarum stabunt, florebunt, si capiti suo Academici magno consensu adhæreſcant; adhæreſcent autem, si quibus initio fundamentis positæ sunt, firmiter innitantur, si, vt cum Augustino loquar, in grauissimis quibusque controuersiarum litibus ibi semper meminerint quærendam esse veritatem, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus: quam veritatem, vt Petrus cognomento Chrysologus affirmatè docuit, is præstat, qui in propria Sede viuit & præsidet Antistes Romanus; Estque illud beatissimi Martyris ac Præsulis Cypriani elogium, non aliunde schismatum hæresumq; ortas immanitates, nisi è Summi Pontificis contemptu, cum ei nec obtemperatur, nec is summus in Ecclesia Iudex ad tempus cogitatur, cuius est in componendis disceptationibus modum facere, vt idcirco grauissimam illi & ab omni erroris periculo semotam diuina oracula sanciuerint autoritatem. Quæ vero vel ab ipsis inferorum sedibus excitæ hostium copiæ Academias illas conuellere valebunt, quas ille firmauit solidauitque Pater Romanus, qui non iam Capitoli, sed Ecclesiæ immobile saxum accolet, & dum hominum genus erit, sanctissimis mundum imperiis gubernabit?

Aug. ep. 162

nabit? Quid, quod Academiis Orthodoxis, quæ vbique terrarum receptæ sunt, nemo omnium cuiuscunque honoris Academici titulum capessit, quin solemni iureiurando Romano Pontifici, IESV Christi Vicario, ac D. Petri successori veram obedientiam spondeat? quibus verbis ita sese nouis honoribus initiandi Summo Ecclesiæ Capiti obstringunt, vt nihilo se minus antea in eiusdem iure ac ditione fuisse fateantur. Nimirum periculosa, imo perniciosa est omnis eruditio, quam ab hac Supremi Magistratus consensione separaueris. per hanc enim secessionem omnis ordo iacet, omniaque retroeunt, atque, vt Latomus quondam ad Bucerum scripsit;

Bartol. Latomus ep. ad Bucerũ.

Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.

Quæ vt abessent, hoc tamen sæculo, quod per hæresin aduersus Christi in terris Vicarium plusquam Vatiniano incensum odio videmus, vel maximè nobis collaborandum est, vt, quo maiore conatu turbulentorum hominum & acephalorum consilia eo referri cernimus, vti extincto statu ordineque spiritali remp. Christianam hoc tam illustri decore exutam tandem in ruinam præcipitent; hoc acrius vigilantiusque Orthodoxi obnitamur, vt sacratissimum illum Apostolici principatus verticem religiosè colamus, à quo, vt à corde sanguis in venas, è mari flumina, è fonte riuuli, è sole radii deriuantur; ita in omnes quoquouersum Christiani gregis plagas cælestis ille diuinorum charismatum influxus singulari supremi Numinis dispensatione promanat. Quamobrem sicut Reges & Imperatores principatus suos pietatis officio & maiorum omnium exemplo sancita submissione atque obseruantia erga sanctiorem & eminentiorem Pontificis Opt. Max. thronum sepire & confirmare consueuerunt; ad eundem modum Catholici Academiarũ Conditores cælestibus institutis & optimis Orthodoxæ fidei legibus imbuti

imbuti iure, lege, ordine, & ritu auorum, primordia earundem ad illam sedem deferunt, quam vti agnoscunt Christi vice in vniuerso terrarum orbe primatum obtinere, ita vbi consensum illius & adprobationem nacti fuerint, tum demum suas illas Academias verè Catholicas; id est, Vniuersales, & omnibus aliis terrarum oris recipiendas, Patre illo, qui omnibus ex æquo ius dicit, ita sciscente, iisdemque planè iuribus atque immunitatum prærogatiuis, quibus cæteræ quondam dotatæ sunt, fruituras confidunt. Estque hinc magnum quoddam & illustre auspicatissimi ominis præsagium, de quo noua hæc Molshemensis Academia sibi gratuletur, e Domo Austriaca habuisse Fundatorem; quæ sicut inter cæteras Familias aut schismate quopiam distractas, aut hæresi contaminatas veris semper ac legitimis Pontificibus, fideique institutis adhæsit; ita nullam earum Academiarum quas, vti videbimus, complures in orbe terrarum condidit erexitque, inter tot pestiferarum hæresum corruptelas, quas vel temporum iniuria, vel hominum improbitas intulit, videmus ab vera & Orthodoxa Religione, in qua primum conditæ fuerunt, degenerasse.

Capvt VIII.

GRATIAE SERENISSIMO FVNDATORI, TOTIVS ALSATIAE nomine.

Liceat itaque, Serenissime Princeps, communem quendam intimæ pietatis sensum, & publicam totius Alsatiæ, quam adeò impensè per Academiam hanc exornasti, gratiarum actionem in hodiernæ lætitiæ cumulum depromere. Quamquam enim non iniuria omnem illi prudentiam, vt veteri verbo vtar, expectorasse præsens dies videri possit, qui in tam conferta omnis ordinis hominum, ciuium, aduenarum, conuena-

rumque

rumque populatim ad hodiernum Academiæ natalem vna nobiſcum agitandum concurrentium panegyri, eam ſibi prouinciam imponi patiatur, vt Principi diſertiſſimo gratias agat, his præſertim Auditoribus, quibus pro ſuo in Te amore, de Te ſatisfacere difficillimum ſit; recreat nos tamen ac reficit, quod dictioni noſtræ horum omnium ora vultuſque videamus ſuffragari, vt iam non magnoperè verendum ſit, vt perſuadeamus, gaudio vniuerſos incredibili perfuſos, in quorum oculis, fronte, toto denique corporis habitu ſupereffluentis cuiuſdam ac prodire geſtientis lætitiæ indicia perleguntur. neque hic magnopere illa Momi feneſtella opus ſit, quam in hominum pectoribus ille cauillator ad intimos ſenſus animi perſpiciendos requirebat. Videlicet intelligit iamnunc Alſatia Tua, eum ſe Principem ſingulari Dei beneficēt a nactam eſſe, qui, quod apud Xenophontem Cyrus dixit, æſtimauit longè eſſe pulcrius & honorabilibus, beneficiorum poſt ſe multitudinem relinquere, quam trophæorum, quique ea caritate ſuos complectatur, vt eos ſociorum, imò, quod eſt apud Homerum, filiorum numero indulgentiſſimè habeat. Videt eam ſibi Religionem purè, caſtè, integrè tuendam atque conſeruandam, quæ ſicut publicis rebus indormiſcere Principem non permittit, ita eidem dux fuit & autor Academiam hanc intra ipſa patriæ viſcera, tamquam firmiſſimam fidei arcem, collocandi; vti ex qua Catholici Doctores Paſtoreſque prodeant, qui inter tot horribiles ſectarũ deerrantium euripos, eam fidem erudiant doceantque ignaros, quam ipſi à primæua Chriſtianitatis origine ſuis fundamentis nunquam labefactatam, & in mediis ſæuiſſimarum perſecutionum tempeſtatibus victricem ſemper exultaſſe, atq; ab omnib. ſemper & vbiq; Chriſtianis vnâ animâ creditam, vnâ oris confeſſione expreſſam, vno conſenſu, & vel ſanguinis oppoſitu defenſam, in Academiis edocti ſunt.

sunt. Iam vero patriæ caritas, cui propinquos, cui liberos, cui parentes, cui vitam deniq; ipsam postponendam maiores nostri duxerunt; quos non stimulos Alsatis admouebit, vt eum Principem in oculis ferant, qui, quod optimos quosq; Patriæ Patres tamquam eximium singularis munificentiæ argumentum florentissimis quibusq; nationibus & ciuitatibus impertiuisse cernimus; illud sibi publico totius patriæ bono, suæ ditioni præstandum esse duxit; vt post emensa doctrinarum Academicarum spacia alij rerum sacrarum Antistites, multi locorum & prouinciarum Rectores, plures aliis dignitatum atq; honorum tum Ecclesiasticorum tum ciuilium ordinibus eximij, longè plurimi tam in Clero, quam in communi vitæ genere deligerentur, qui probitate, doctrinâ, meritis florentes, & tamquam veri Atlantes remp. Alsaticam vel ornarent mirificè; vel prudentissimè gubernarent. Vt Teipsum quoq;, SERENISSIME ARCHIDVX, hoc nomine fortunatum prædicare nō pigeat, cui Deus hanc mentem & facultatem dedit, vt tantū in Alsatas Tuos beneficium conferres. nec enim sola Alsatia, quamquam nobilis, ampla, & opulenta; sed ne totius quidem terrarum orbis imperium cum isto, quo erga Deum DEI q; Ecclesiam officio perfunctus es, venit comparāda. nam regnorum quidem possessio & principatuū, perinde atq; ipsa hominum vita breuis est ac fluxa, multarumq; parens molestiarū: at vero fructus istius benefacti æternus, sempiternam tibi olim cælestis beatitatis accessionem cumulabit. Etenim si amplissimam illis remunerationem diuina oracula promiserunt, qui vel vnum hominem ad Religionem Deiq; cultum ab errore traduxerint, quid tandem præmii Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, in cœlo paratum censes, qui innumerabili tot animorum multitudini, ad auitam fidem per Academiarum institutionem reuocandę, in eaque formandæ opem auxiliumq; saluberrimo consilio attulisti?

attulisti? & certè habet hoc sinceri & Austrio Principe dignissimi animi erga se testimonium Deus, hoc pietatis curæque Pastoralis signum Ecclesia, hoc zeli feruorisque Episcopalis ad fidem Orthodoxam propagandam, Romanus Antistes, hoc specimen sapientiæ atque virtutis Europa, hoc exemplum posteritas, hoc beneficentiæ munus Alsatia, hoc beneuolentiæ amorisque Societas, quorum omnium vno illo Academiæ domicilio constituto animos vel aduertisti, vel obligasti; maximè tamen Alsatarum Tuorum, qui cum pro eximio isthoc beneficio gratias Tibi deberi; at referri ab se non posse videant: ad vota couertuntur; vt sicut olim Constantino, qui teste Lactantio, primus Romanorum Principum repudiatis erroribus Dei maiestatem & cognouit ipse, & à suis honorari sanciuit; pro hoc facto dedit illi Deus virtutem & diuinam quandam felicitatem, vt eâdem iustitiâ & magnitudine animi, quâ iuuenis exorsus fuerat reip. gubernaculũ, idem etiã senex teneret: ita seros Tibi annos proroget, quibus hanc abs Te positam Religionis & Scientiarum Arcem aduersus omnes hostium conatus, aduersus temporum iniurias & humanarum rerum vicissitudinem, sub Serenissimi Tui Nominis sipario conquiescẽtem tueberis, & (qua soles in Tuorum incolumitatem insita beneficæ mentis propensione ferri) fructum etiam aliquem tot tantorumque in Patriam meritorum, desideratissimos eius progressus spectando, fortunandoque decerpas.

FINIS LIBRI PRIMI.

AR-

ARCHIDVCALIS ACADEMIÆ NOVÆ MOLSHEMENSIS,

A

REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO D.

LEOPOLDO

ARCHIDVCE AVSTRIAE, &c. ARGENTINENSI ET PASSAVIENSI EPISCOPO, &c.

FVNDATAE, ET PANEGYrico Explicatæ

LIBER SECVNDVS.

DE DOMO AVSTRIACA,

DEQVE SERENISSIMO LEOPOLDO, Munificentissimo Academiæ FVNDATORE.

Procemium.



ERTRACTATIS nonnihil ACADEMIARVM commodis, AVGVSTAM SERENISSIMAE FAMILIAE TVAE DOMVM, quæ vt vetustate & gloriâ, ita imperiis & maiestate omnes omniũ ætatũ familias supergressa est, subiturus; SERENISSIME ARCHIDVX, quod veteri Persarum instituto receptum fuit, idem nunc mihi vi-

 deo

deo vſurpandum. Etenim illi dum ad Regiam ſiue vrbem ſiue arcem propinquarent, effigiatã Regis ſtatuam in primo aditu expoſitam ſupplice cultu adorantes, Regiq́ benè precati, tum quâ causâ venirent, quid adferrent mercium, quam artem profiterentur, velut in conſpectu Regis exponebant. ad idem planè exemplum, pleno gratitudinis atq; obſeruantiæ animo, (quem magnus ille naturæ Myſtes, pulcerrimum vt Deorum, ita Principum cultum eſſe pronunciauit,) in ipſo SERENISSIMAE TVAE DOMVS AVSTRIACAE propylæo, Tibi, SERENISSIME ARCHIDVX, quo PRINCIPE & FVNDATORE hæc MOLSHEMENSIS ACADEMIA in cæterarum illuſtrium, & vero etiam Archiducalium Academiarum iura dignitatemq́; immiſſa eſt, hodiernâ panegyri propoſiti mei rationem redditurus, palam conſtare volo, me ſolius debiti, iuſtiq́; obſequij religione inductum, Auguſtos Tuæ gentis Proceres, quorum ſinguli pro rerum dicendarum pondere, orationem Plinianâ aut Iſocraticâ prolixiorem depoſcerent, in hoc Academicæ gloriæ theatrum quadantenus producere; non vt eos à ſilentio vindicem, à quo ipſi ſuâ ſe virtute rerumq́; geſtarum amplitudine iam pridem vindicarunt; ſed vt Alſatæ Tui, quos egregiè nouo iſthoc Academiæ beneficio exornaſti, vna mecum recolant, Te germanam tot Cæſarum, Regum, Archiducum propaginem, viuas nobis maiorum Tuorum imagines ſuſcitare; tum vero etiam intelligant, quam ſibi meritò gratulentur, virtuti ſeſe ac felicitati inuictiſſimæ Domus Auſtriacæ ſubiacere, quæ cum Germaniæ decus, Imperij Romani ſplẽdor, deniq; vniuerſæ Reip. Chriſtianæ non modo aduerſus Ottomannicam barbariem, ſed hæreticorum etiam prauitatem hoc ſeneſcente ſæculo atq; ad ruinam præcipiti, propugnaculum, diuinitus conſtituta ſit; pro amore, quo doctrinarum ſtudia, fideiq́; auitæ puritatem proſequebatur, deſertum panè in ECCLESIA literarum patrocinium ſuſcepit. Etenim poſteaquam neſcio quo ſuo malo fato aliquammulti, tamquam peſtilenti

stilenti contagio eam labem contraxerunt, vt lucem omnem perosi, tenebras vltrò erroresq́; consectantes, ab verâ Religione, tamquam ab Aquilâ spurij, excussi abiectiq́; essent; dum illum, quem humi puluerem rapuêre, hûc perspicacibus etiam & sanis ingeniis ob oculos spargere contenderent; magnamq́; laudem in veræ Sapientiæ virtutisq́; obtrectatione positam existimarent; quæ nō istius sæculi eliminanda barbaries, quæ non silua cædenda, qui non irrumpendi limites, quæ ruta cæsa non colligenda, quæ non ipsis tumulis eruderanda saxa fuerunt, vt pristinus ille literarum cultus in Orbe Christiano renasceretur? iam vero, cum in res nouas latius proseminandas proni, dogmata falsa procuderent; sentiebant vnâ se diuinâ humanâq́; Philosophiâ, quæ in Academiis floret, posse reuinci: quare vt canes præclarè se vlcisci putant, si lapidem quo infesti petuntur, dentib. aut morsu prehenderint; ita isti tunc tandem se omnes Orthodoxæ religionis copias profligasse arbitrabantur, si studia literarum, quibus tamquam telis arcendi erant, maledictis ac dente maligno lacerassent. Sed non tulit Serenissima maiorum Tuorum Familia, quam præpotens ille Deus, inter tot alias (vt sunt res mortalium caducæ atq́; inconstantes) aut vi hostium extinctas, aut collapsas vetustate, seu quâ aliâ caussa fatiscētes, immotam rupis instar, & fluctibus nequidquam circumsonantibus inuictam conseruauit; hac etiam in re opem suam, curamq́; desiderari. Enimuero cum publica felicitas, ad quam cœtus mortalium omnes instituti sunt, è singulorum felicitate coalescat; singulorum autem felicitas sine religione ac legibus; hæc sine consilio & sapientiâ neq́; coli possint, neque retineri; illud prudentissimè aduerterunt, nisi doctrinarum studia, Clerum, Senatum, tribunalia, ciuesq́; ipsos occuparent, fore, vt firmissimis hisce rectè sentiendi, honesteq́; viuendi præsidiis sublatis, subditi prauarum opinionum fluctibus æstuantes, vbiq́; Prothei & amphidoxi, sanctissimi fœderis iure, quod Catholicæ huic Familiæ cum Religione arctissimè semper intercedebat, abrupto, errorem pro luce, pro ratione amentiam, arrogantiam pro vir-

tute pro veritate falsitatem amplecterentur. Quare ad cateros honorum & Augustalium decorum titulos, quos olim aut labor indefessus inuenit, aut virtus assidua peperit, aut parta domi militiaq; gloria cõparauit, aut vigilantissima Christianæ reip. feliciter administrata gubernatio attulit; illũ etiam honorificentissimum positarum ab se ACADEMIARVM, coniunxerunt; quas qui à gubernaculis vrbium suarum remouent, meritò vitam de corpore, de mũdo solem sustulisse videri possunt. Ergo quod vetus quondam Panegyrista in Constantio Augusto Gymnasium in Celtis redintegrante collaudauit, vt quantum ad votum pietatemq; indulgentissimum liberorum parẽtem appellare non dubitaret, qui nobilissimam istam indolem respicere dignatus, suo potissimum iudicio Præceptorem iis Moderatoremq; Eumenium tribuit, & inter imperatorias dispensationes, literarũ quoq; dilectum habuit; neq; aliter, quam si equestri turmæ, vel cohorti consulendum foret, quem potissimum præficeret, sui arbitrii esse duxit; ne ii, quos ad spem suorum tribunalium, aut stipendia sacrarum cognitionum, aut ad ipsa palatii magisteria prouehi contingeret, incerta discendi signa sequerentur; *hoc ipsum TVI de TE ALSATAE, SERENISSIME ANTISTES, prædicabunt, ipsaq; Diæcesis vniuersa hoc amplissimo doctrinarum domicilio abs Te constituto, futuris sæculis debere se Tibi profitebitur, quod non modò fidei & doctrinæ integritate restabit incolumis; sed etiam, quod heterodoxis opinionibus tamquam flammis feralibus coronata, Phœnicis instar, reddita quasi iuuentute, reflorescet.*

Paneg. Cõstant. d.

CA.



CAPVT I.

SERENISSIMAM DOMVM AVSTRIACAM PER AVGVSTOS S. R. I. CAESARES, QVOS *Orbi Christiano dedit, Religionem Catholicam, Remq; publicam armis & sapientia asseruisse.*



NTER æquos illustrium meritorum æstimatores, quæ ab Gente Austriaca in Romanum Imperium adeoque Orbem vniuersum profluxerunt, haud iniuria principatum obtinere debet Fridericus Imperat. Henrici F. Friderici Barbarossæ N. qui luculento diplomate, quo præter alias prærogatiuas Ducali honore Austriacos extulit, dignissimo tot facinoribus bello ac pace patratis elogio, Domum Austriæ cor & clypeum S. R. I. appellauit. Quæ quidem Augusta Cæsaris verba, si fas est coram Te, SERENISSIME PRINCEPS; ita interpretabor, vt per Cor sapientiã, per Clypeum, arma, quibus in hanc diem Sacrosancta Religio per Archiducalem Familiam propugnata fuit, æstimem designari: vt quod Iulio Cæsari per sinistram libro ornatam, per dextram vero ense munitam appingebatur, idem Austriacis Impp. & appingi possit, & adscribi, vt EX VTROQVE CÆSARES meritò pronuncientur. vti qui Enniano verbo, non

Bellipotentes sunt mage, quam sapientipotentes.

Sanè Augustinus præclarum Africanæ Ecclesiæ columẽ, *Aug. cõtr. Parm. c. 1.*
imperitam hominum multitudinem partim corde care-

re,

re, partim cor non in corde, sed in oculis habere pronunciauit; quod magna pars vulgi, cæca quadam optimarum rerum ignoratione teneatur, longè maxima vero bruto sensus impetu affecta, si sanguis fluat de mortali corpore, exhorrescat; sin vero anima hæresis aut schismatis sacrilegio ab Christi corpore præcisa intereat, illam mortem, tametsi longè nocentissimam luctuosissimamque nemo ferè omnium deploret. Et quemadmodum latini sermonis consuetudo illis, à quib. abest sapientia, ne cor quidem inesse satis ostendit, dum eiusmodi homines væcordes, socordes, excordesque nominamus; ita Hebræorum idiomate, prout è diuinis literis manifestum est, Principes & Rectores prouinciarum מגני־ארץ, id est, scuta terræ & munimenta (quod eorum sit populos tueri) merito appellantur; sed nec istud silentio inuoluẽdum, quod quanta cordis & scuti, quoad figuram, affinitas est; tantam in Principe omnibus suis virtutibus absoluto Sapientiæ & Militaris disciplinæ consociationem, hisce præsertim tot infaustarum seditionum nouationumq; temporibus, esse oporteret: quod tum denique diuinorum dogmatum puritas, Christianæ disciplinæ obseruantia, probatissimarum legum vigor, custodia Canonum, sacrorum rituum nitor, optimarum Artium peritia, & sua cuique ditioni iura ac Sacra, sarta tecta conseruentur, si Principes in subditorum gubernatione aduersus maleuolorum fraudes & dolos sapientiam adhibent: & quando vis atque iniuria prohiberi aliter ab Christiano populo nequit, muneris atque officij sui esse ducunt, vel totis castris & omnibus copiis prosequi rebelles, victosq; meritis pœnis insectari. Et vero bella Religionis caussa iustè suscipi, tam omnibus diuinarum Scripturarum monumentis clarè testatum est, vt hoc vindicationis genus populo Iudaico cælitus plerumque imperatum reperiamus: ipsaque, vt ita loquar, bellorum gerendorum auspicia

Santes Pagninus in Thesauro ling. S.V. GANAN.

cia

cia penes ipsum Deum fuerint, qui idcirco & DOMINVS SABAOTH, & summus copiarum populi sui Ductor est prædicatus. quid enim? si intra Reip. viscera cædes fieri, si popularium suorum fortunas & opes direptionibus, peculatu ærarium, fana sacrilegio compilari Princeps viderit; ad ciuitatis tutelam armatus accurret, vim improborum arcebit, & tam nefaria tamque manifesta scelera exquisitis suppliciis protinus vindicabit; hic vero in tam aperto animarum discrimine se suorumque salutem negligat, Ecclesiæ fletus gemitusque despiciat, dilectæ afflictæque Matri Christi Sponsæ manus supplices tendenti, præsidium ac tutelam per Sponsum, per Vicarium, per Sacrorum Antistites poscenti non quâ possit ratione, consilio, manu, quam promptissimè opituletur? aio, vbi hoc tempus, hic articulus est, non expedire tantum, & decere; sed, si cunctetur, si socors desideat, aut, quod longè deterrimum, si conniueat, & vel dissimulatione, vel improbo fœdere colludat; aio, inquam, supinum esse & ignauum, officii ac muneris immemorem, abuti potestate, gladium sine caussa portare, prodere ac negligere remp. vti qui regnis fulcrum ipsaque rerump. quibus insistunt firmamenta subduci patiatur. Tantò itaq; maior, tantò Augustior SERENISSIMÆ TVÆ FAMILIÆ Splendor elucescit, cum nulla alia sit, (dicam vel liuore iudice) cuius præclarè gestis pugnisque, & de inimicis Christi victoriis magis illustrentur Annales, quam Austriacorum. quorum si bella memorem, vel ab solis Impp. pro asserenda Religione & suscepta fortiter, & feliciter confecta, tot inueniam, quot triumphos; vt nullus occurrat hostis, qui non simul laudibus Austriacorum adderetur. Sine me igitur, SERENISSIME ARCHIDVX, Augustalem illam Domum aliquantisper non adulationis studio, quam illa semper velut tristem palatiorum scopulum fugit, imò velut pestem aulis suis profligauit; sed iusti obsequij deferendi a-

nimo, ſubire. vt quod iam pridem omnes nationes probè agnouerunt, hoc etiam in Alſatia Tua prędicetur, omnes populos & ditiones, quarum illa faſces ſuſcepit, tum ſingulari præpotentis Dei beneficentiâ, tum Auſtriadum in religionem remque publicam tuendam vigilantiſſimo ſtudio ita effloruiſſe, vt non modò ſemet ipſæ tuerentur; ſed hoſtibus etiam Chriſtiani nominis ſub iugum miſſis, longè latèque propagarent: vt toties Imperio Romano ſignum velut quoddam felicitatis ſuſtolli videretur, quoties vnus aliquis Principum Auſtriacorum Auguſtale ſolium conſcenderet, quem quiſquis in acie conſpexit, vt plurimum ſuperatus eſt; qui in pace; non timuit, ſed amauit. Porro inter CÆSARES, quos vndecim ex hac Tua familia, Septemuiri maximo ſemper dilectu ad reip. clauum admouerunt, primum ſe offert tum admirandæ in Deum pietatis religioniſque laude æternus, tum belli

RVDOLPHVS I.

Chro. Alb. Argent. Chro. Colmar. Tritem. Suffri. epit. lib. 2. Chro. Hirſ. Gulli. in Habsburg lib. 6. cap 4. Girard de Roo V. C. Th. d Pi. ſ. ord. in ſtemm. Auſtr.

paciſque ſiue artibus ſiue gloria cuiuis vni ſuperiorum Impp. facile par, RVDOLPHVS hoc nomine PRIMVS, Alberti Sapientis Filius, qui ex Comite Prouinciali Alſatiæ, poſteaquam fidem ſuam & robur militare Ottocaro Bohemorum Regi egregiè probaſſet, ab eoque palatiò Præfectus primum, deinde ſummus aduerſus Belam IV. Hungariæ Tyrannum, Dux equitum pro Styriæ principatu vindicando conſtitutus, memorabilem victoriam reportaſſet; religione cumprimis, tum ſapientia & rerum domi militiæque gerendarum dexteritate (id quod ei longè antea ſub venationem Diuinum Sacramentum pientiſſimè veneranti Sacerdos prædixerat) Auguſti decoris faſtigium omni felicius inuidiâ, in hanc Domũ inuexit. Siquidem Gregorius X. videns Germaniam interregno, quod è morte Friderici II. ſupra laudati Cæſaris annos duodetriginta tenuerat, quaſi gubernatore deſtitutam, eliſis iudiciorum ac legum neruis in barbariem relabi; cum ſub Annum M. CC. LXXIII. miſſis nunciis

Septem-

Septemuiros Imperatori creando monuisset, vt, nisi aliter ab se consultum vellent, in tantâ legum & temporum corruptelâ Moderatorem Imperio darent; Wernero Moguntino de Falckensteiniorum Comitum prosapiâ toto suffragiorum conatu RVDOLPHVM, tamquam strenuum & sapientem Principem collaudante, III.Kal. Octob. ipsâ D.Michaëlis electus, decretoque electionis ab Eitelio Friderico Comite Zollerano accepto, cum anni subsequentis mense Ianuario ab Sigefrido Coloniensi trabeâ & imperiali diademate ornatus, Principes nonnullos auita terrarum atq; dignitatum iura recognituros, segnius in spondendâ fide agere videret; RVDOLPHVS, velut alter Constantinus, arrepto Crucis signo, quod in ara steterat, id sibi sceptri loco fore, in omnes sibi atque Imperio infidos, renunciauit: honoribus deinde Regiis in Synodo Lugduni habitâ per Gregorium confirmatis, Odoacrum rebellem Bohemiæ Regem cælesti numine adspirante subegit, & in Sequanos arma proferens, malè pacatum Burgundiæ Comitem imperium accipere coëgit, ac summo Alsatiæ ocio parto, vrbibusque, Hagenoa, Colmaria, Tiguro, & Berna compositis, Æde item Sacra viuificæ Cruci Tulnæ ex voto posita, tandem senio & militari labore fractus, Anno M. CC. XCI. XIIX. Kalend. Augusti, vt monumenti titulus indicat, oppido Nemetum Geimersheimio ex hac luce ereptus, incomparabilis, & quatuordecim conflictibus victoriosi Principis elogio decoratus est. Rudolpho vita functo, ALBERTVS id nominis I. paterni sanguinis & virtutis hæres subrogatus est, qui Triumphatoris cognomen tulit, quod Adolphum Nassouium difficillimo prælio, cuius dies signatur VI. Non. Iul. SS. Processo & Martiniano sacer; postea etiam Belam Hungariæ, Wenceslaum Bohemiæ Reges, Austriam, cæ-

ALBERTVS I.

terasque circumsecùs ditiones infestantes, regni titulo & honore, quo per factionum studia potiebantur, exuisset. Eius aduersus Deum pietatis & animi prudentis ad æquilibritatem compositi luculentum vestigium apparuit; cum prælio, quo de summa Imperii in Vangionum agro decernebatur, plurimis vtrimque partim æstiui caloris æstu immodico, partim vulnerum inflictu cadentibus, Adolphus in media pugnantium agmina prolapsus, vbi extrema vi per armatorum cuneos ad ipsum vsque Albertum penetrans, Albertumque magna voce inclamans, non euades, inquit, sed vitam cum Imperio relinques; tum ALBERTVS; id sanè in potestate Dei summi arbitri est; simul mucronem stringens, vulnere secundum oculum, qua galea patebat, inflicto, Competitorem in terram ex equo deiecit, qui dein à Siluestribus Comitibus, aliisque Albertum cingentibus obtruncatus est. qua victoria potitus, Aquisgrani deinde D. Bartolomæi festo à Wichboldo Agrippinensium Præsule solemni ritu inunctus, coronatusque fuit; sublimiores vtique gloriæ gradus conscensurus, nisi nefaria Nepotis manu, detestabili parricidio, haud longè post sublatus fuisset. Qui vt bilingues summo semper odio detestatus est, ita deuotum Clerum, & strenuos milites arctissimè complectebatur. Pro Symbolo vero manum ferratam sceptro decoram, & altrinsecus oliuæ ramum habebat, cum hac epigrapha; VTRVM LVBET. Vt se belli & pacis Artibus, velut alterum Fabium, æquè gloriosum significaret. nec diu ab huius morte Imperium sine Austriaco moderamine floruit; siquidem Henrico IIX. grauissimis reipubl. malis indormiente, dum nefariis hominibus ad vniuersorum perniciem confæderatis crescit animus, tota passim Germania, triplici factione Leonum Sæuientium ex Rhenana Francicaq; nobilitate, Falconum in Westphalia, & Cornutorum in Loganæ tractu, in cædes & prædas effusâ, eorundem latrociniis exinanita

nita est; donec tandem iterum ad Austriacum, tamquam ad sidus tutelare, tametsi non sine nubilo, Christiana resp. respexit. Enimuero studiis Septemuirum in diuersa distractis, FRIDERICO cognomēto Specioso (quem complures Chronographorū huius nominis in Augusta serie III. indigitant) Bonnæ in Regem coronato, & à primoribus accepto, per Ludouicum aliorum æmulatione oppositum, diuturni belli occasio exorta est. ad cuius frangendas opes, LEOPOLDVS Friderici Frater, magno cum exercitu armis impunè circumlatis, in Nemetum fines descendit; posteris deinde annis ad Bruscam Alsatiæ nostræ amnem, adscito Ioanne Argentinensium Antistite, & Vdalrico Ferretarum Comite, magnam ei cladem dedit; donec tandem sub annum M. CCC. XXII. inter OEtingam Boiorum, & Molindorffium OEno fluuio propinquum, dum alternante diu victoria, nescias vtri vincant, Austriis loco motis, signum militare captum est; ipseque Fridericus, traiecto per medium corpus equo, fortiter dimicans viuus, Bohemo manus iniiciente, in Ludouici potestatem venit. tantoque LEOPOLDVS amore Fridericum complexus est, vt à die, quo captus fuit, nullum lætitiæ signum ediderit. bellisque in annos consequentes continuatis, notabili Germani amoris exemplo, Fratrem è vinculis eripere laborauit. Fridericum igitur forma Orbi, virtus Deo commendabat; & quod imperium illi Principum discordia impediuit; hoc dum per LEOPOLDVM militaris virtus asserit; constantiæ, fidei, & fortitudinis posteris ostendendæ præclaram nactus est occasionem. Nec modico deinde temporis interuallo, hoc est, An. M. CCCC. XXXIIX. eâdem stirpe ALBERTVS II. cognomento HONORIFICVS, Sigismundo Augusto Pragæ in Bohemia vita functo, Kal. Ianuarii pro eo Francofurti Romanorum Rex consalutatus est; cum aliquanto ante Hungariæ Bohemiæque regna indeptus, ægrè ab ea gente honorem hunc capessere

FRIDERICVS III.

ALBERTVS II.

permissus fuisset. qui mox à coronatione aduersus Amurathem maximis copiis profectus, Turca sub eius aduentum retrofugiente, dissolutis militaribus turmis, ab expeditione redux sub Caniculæ feruentis æstum solito maiorem, morbo sibi ex melonum & peponum esu conflato VI. Kal. Nouembr in Hungaria, pari totius orbis luctu & damno diem clausit extremum. Sed iacturam resarsit eadem Domo FRIDERICVS IV. (alii III. statuunt) cui deinde PACIFICI sui nominis cognomentum fuit, quem VIIviri Francofortum denuò profecti, Ioanne Gersio Sigismundi quondam Imp. Protonotario nequidquam comitia distrahente, Anno M.CCCC. XLII. die Virgini purificatæ sacra Romanorũ Regem dictum, summis deinde studiis Aquisgrani, Theodorico Agrippinate diadema, sceptrum, & regalem purpuram deferente, ornarunt. Hunc sapientiæ singulari quodam amore inflammatũ Æneas Syluius, (quem doctrinâ eminentem regia Friderici Cancellarium, deinde vero Ecclesia Summum Pontif. PII II. nomine habuit) testatus est. Sed nec armis, nec pietate inferior fuit. nam Flandros rebelles, Innocentio anathema iisdem interminante, domuit; duos Carolos, alterum VII. Francorum Regem, alterum Burgundum, cum iam ingentibus adductis copiis pæne attriuisset, Alexandro Foroliuiensi Pontif. Max. in Germania Legato, eam Sedi Apostolicæ reuerentiam habuit, vt ad eius arbitrium totam eam litem reiecerit. ea quoque pietatis laude floruit, vt Coloniæ vna cum Principibus & Illustri Comitum hac ætate armis consilioque præstantium Corona, in Rosarii, vt vocant, fraternitatem referri voluerit, eorumq; censu reponi, qui certo corollarum & precum numero Sanctissimam DEI Matrem religiosè consalutarent. quibus Religionis operibus eam etiam temporariæ felicitatis, vt vulgò haberi solet, vicem recepit, vt omnium maximè diuturno imperio LIII. annorum, & quod excedit, potiretur: quo

FRIDERICVS IV. al. III.

quo supergressum cunctos patet, qui iam inde ab Augusti ætate orbis principatum tenuêre. Sub hoc Author & Parens Societatis nostræ B. IGNATIVS LOIOLA feliciter in lucē editus est. Cuius obitu ad XIII. Kal. Septemb. vulgato, MAXIMILIANVS I. Friderico iam antea procurante Rex Romanorum renunciatus, consensu VIIvirum Anno M. CCCC. XCVI. Cæsar dicitur, Princeps & rei bellicæ studio, & disciplinarum ac Summæ in Deum pietatis, plurimisque tum naturæ tum fortunæ dotibus illustris. de quo Parenti Friderico luculenta oratione Hermolaus Barbarus, merito gratulatus est, quod Filium generosissimum, qui nobilissimas gentes, ferocissimos populos, bellicosissimas nationes non minus armis quam sapientia vicisset, se viuo Regem Romanorum dici permiserit. Is & controuersiis imperii minuēdis commune quoddam Germaniæ Dicasterium, quod iam Camera Imperialis apud Nemetes tuetur, erexit, & sanctionem pacis, qua nullum adhuc remedium efficacius Germania tot subsessorum latrociniis iniuriisq; lacerata senserat, promulgauit, & prima Velleris aurei à Philippo Burgundionum ac Brabantiæ Duce, cognomēto Bono, instituti, Brugis comitia, tamquam Augustissimi illius Ordinis caput ac Princeps celebrauit. quantò autem in scientias affectu esset, vt alia non memorem, vel hinc eluceat, quod in Comitiis An. M. CCCC. XCV. celebratis, graui & sapienti oratione Imperii Proceres, maximè omnium Septemuiros exhortatus est, vt quando Doctorum hominum copia rarescerent; darent operam, vt suis in ditionibus Academiæ passim erigerentur. nec vacat certo diuinæ prouidentiæ argumento, quod humeris Lutheri, necdum id temporis apostatæ, sed virus tamen animo iam percoquentis, cacodæmonem forma visibili (vti olim in Berengario Fulbertus Carnotensis) insiden-

MAXIMILIANVS I.

insidentem conspexerit. Maximiliano tandem Lintzii apud Welsium in Austria naturæ concedenti, in eius locum

CARO-
LVS V.

CAROLVS V. Philippi Formosi F. Maximiliani N. frequenti Procerum purpuratorum conuentu Wesaliæ dictus Imperator. qui in castris Hannibalem, in conficiendis itineribus Iulium, in prœliis Alexandrum, amore literarum Augustum, Religionis tutela Constantinum Orbi Christiano exhibuit. Hic Italiam discordem composuit, Solimanum Sexcētorum millium, vt fertur, exercitu, Pannoniæ imminentem, turpiter fugere plurimis contrucidatis coëgit, ac decennio post in Mauritaniam Cæsariensem profectus, de iisdem victoriam omnium gentium literis celebratissimam reportauit. Gallorum Regem, & Saxonum Ducem captos vicit, Afros domuit; & quod maximè à me commemorandum, acerrima illi cum Luthero hæresiarcha Wormatiam primum euocato, & deinceps, pugna fuit. ibi enim fortiter sapienterque summam de rep. sententiam dixit CAROLVS vere AVSTRIVS, se, quod Auo, Patre, maioribus, & sigillatim Domo Austriacâ dignissimum iudicaret, auitam maiorum fidem defensurum, Ecclesiamque Catholicam omnium suorum regnorum opibus, vectigalibus, etiam sanguine, ipsoque capite suo tutaturum; nolle Principibus in posterum quidquam cum illo homine negocii esse, quem falsæ Religionis manifestum, velut hostem Ecclesiæ, proscriptum videret. qui memor se dici & esse Catholicum, seuerissimè cauit, vt libri ab Luthero scripti, ab Leone X. damnati, in amplissimo Brabantiæ conuentu Vulcano traderentur: vt iure ab Paulo III. Imperator armis & religione Maximus nominaretur, quanti vero laudabilium

bilium doctrinarum Moderatores IMPERATOR hic verè AVGVSTVS fecerit, argumento est, quod cum Louanii esset, Rectori Academico loco cessisse, & tantum talem Cæsarem latus texisse, singulari & nouo exemplo perhibeant. Tandem inaudito gloriæ, (quâ ipsas etiam Gades & Herculeas columnas transgressus est) & spretæ monarchiæ exemplo, Philippo Filio hæreditaria regna, Ferdinando Fratri Imperium consignans, omnia Imperatoriæ maiestatis ornamenta, vnius Religionis & tranquillioris vitæ desiderio, deposuit, & felicibus ventis in Hispaniam delatus, Eremum Iusti in agro Placentino, inter Hieronymianum Sodalitium, locum orationi & pietati exercendæ delegit. Cuius mirabilem tum in illâ vitæ mutatione, tum in Imperii, vitæque clausula diuinæ prouidentiæ harmoniam Zenocarus notauit, quod quâ in parte Galliæ, quâ in prouinciâ, quâ in Vrbe, quo in palatio, quo in atrii loco, quo tempore Belgicæ, cæterorumque regnorum, anno ætatis quintodecimo dominatum inchoarat, eâdem in parte Galliæ, iisdemque locis, ac temporibus, post XL annos idem Carolus Philippo Filio Belgicam cæteraque regna, coram omnium Prouinciarum ordinibus, maiorumque gentium nobilitate, tradidit; quin, & vbi natus est, ibi mūdo mortuus, & qua die XXIV. Febr. natus, eâdem Rex & Imperator consecratus est. Eademque die Septemuiri Electores Francofurti rursus solemni ritu translatum in Ferdinandi caput diadema venerati sunt, qui Comitiis Augustæ habitis, multisq; salubriter constitutis, Turcam grauissima obsidione Viennam tentantem, Vrbe, & Austria, totaque Hungaria pulsum, Constantinopolim redire coëgit. Eundem tum aliàs, tum Ioannem de Zapolia, eiusque Filium Ioannem Sigismundum Transyluaniæ Vaiodam, Sultani opibus nixum Pannoniæ inhiantem strauit fugauitque. Lutherum, cuius antea Nouum Testamentum hæretico fermento inquinatum tota Austria proscripse-

I. Lips. in Louan. c. 3.

FERDINANDVS I.

K rat,

rat, tum per alios, tum vero per Societatem, quam amantissimè complexum infra dicendi locus erit, ditione sua profligari sanciuit. Quibus dignissimis Catholico Cæsare facinoribus, Salutaris toti Orbi Germanico Imperatoris elogium promeruit adipisci. Nec is qui Parenti

MAXIMILIANVS II. successit, MAXIMILIANVS II. ab hac Sapientiæ & rerum magnarum gloria degenerauit; qui raro felicitatis exemplo, quale post Albertum Austrium II. nemini obtigisse accepimus, intra vnius anni orbitam tres ordine coronas Augustales, Hungaricam IIX. Septembr. Posonii, Bohemicam xx. eiusdem, & tandem xxiv. Nouemb. Romanam suscepit. Idemque se aduersum ingruentes humanorum casuum fluctus hoc digno Catholici Cæsaris elogio, Dominus prouidebit; velut clypeo præmunire solitus erat. Sapientiæ vero laudem retulit, quod ab adolescentia optimis disciplinis imbutus, ita iis inuigilauit, vt octo linguarum haud mediocriter peritus esset. Eum dies D. Maximiliano, Sacer, id est xii. Octobr. sub A. M. D. LXXVI. ab mortali ad immortalem vitam transtulit.

RVDOLPHVS II. Et Filio suo RVDOLPHO II. Imperiale decus reliquit, qui Kal. Nouembr. Maximiliano necdum viuis erepto, Ratisbonę Rex Romanorum electus & consecratus erat. Eius autoritate Aquenses ad noua promptiores in aliquod tempus, vti postea patuit, repressi. hic vero in magna tumultuum & bellorum iactatione comitiis Ratisbonæ, & aliubi sæpenumero indictis, quam multa salutariter Imperio, reiq; Christianæ sanciuit? quam crebro auxiliis communibus tum aduersus æternũ Christiani sanguinis hostem, tum Belgicæ alijsque prouinciis pacandis curas aduertit? qui semper iis præliis fortunatissimus notatus est, quæ contra Ottomanicum furorem, Ernesto, Maximiliano, & quem Deus hodie S. R. Imperio diu felicem gubernare velit iubeat, MATTHIA Serenissimi Tui sangui-

ſanguinis Gubernatoribus confecit, magnâ felicitate ac virtute comite geſta, trophæis monumentisque ſuis conſignata reliquit, dum omnes laudatiſſimi, vereque Auſtrii & Orthodoxi Cęſaris numeros, aduerſum tot difficillimorum temporum acerbitates, ipſos duodequadraginta, quibus imperium tenuit, annos, magnâ ſemper moderatione vſus, explicuit: donec tandē ſub annum M.DC.XII. die x. Ianuarii mors eius exulceratione vitalium properata, veterem curam conſulendi Imperij orbitati VIIuiris reuocauit; eſtq; Francofurti menſe Maio locus CÆSARI MATTHIÆ creando apertus, qui XXII. eiuſdē, cum ANNA lectiſſima ſuæ ſtirpis REGINA, magno Principum & ciuitatis ſtudio acceptus, ad XXIV. Maij Cæſar dictus, Moguntino primas ferente, auguſtâ coronationis cæremoniâ de more inauguratus eſt. Mox ſequente anno Comitiis Ratisbonam indictis, præſidia rebus Imperij grauiſſimè iactatis vigilanter inquiſiuit; Aquenſes, qui antea Rudolphi Cæſaris autoritate & ſententiâ, Catholicis iuri ſuo reſtitutis, compreſſi, non ad ſolidam quietem redierant, Alberti Archiducis Belgarum Principis armis compeſcuit, nec multo poſt, Francofurtenſes reſectis capitibus rebellionum, in officio continuit. Sed iam ſiſto, memor Solonis, ne quem ante obitum beatum videar prædicaſſe. Claudat igitur Auguſtam Impp. Auſtriacorum ſeriem inclytum par Regum eiuſdem ſanguinis verè Catholicorum; alter Philippus II. Hiſpaniarum Indiarumque Monarcha potentiſſimus, qui belli & togæ Artibus æquè admirandus, vti, quo vix vllus hac memoria Princeps aut tempeſtiuius arma induit, aut ſerius exuit, aut ad extremum vſque vitæ ſpiritum fortius fideliuſue pro Dei Eccleſia tractauit; qui vti non voce tantum per Oratorem ſuum in publico Chriſtiani orbis theatro; ſed manu etiam, vbi neceſſum fuit, pro Religione tuen-

MATTHIAS I.

PHILIPPVS REX HISP.

Ex orat. Ioan. Alphonsi de Sosa Roma ad Clem. VIII. habita A. 1592.

dâ constanti animo florentissimum Monarchiæ suæ sceptrum, Regiæ Maiestatis coronam, affluẽtes regnorum opes, ipsum Austriacæ familiæ sanguinem obtulit; ita moriens plenus dierum, plenus insignium in Ecclesiam Catholicam meritorũ, gaudere se meritò aiebat; quod in Catholica fide religioneque maiorum, & obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ eiusq; Capitis Romani conquiesceret. Quare hanc ei Deus felicitatem addidit, vt eundem & Regem Regumque maximum, fortem barbarorum ac Tyrannorum domitorem hostes timerent, & pium acerrimumq; Ecclesiæ defensorem tanquam humani generis delicium innumerabiles tam latè patentium Regnorum nationes amarent. neque iniuria,

Adrian. Barland. in Chro. Ducum Brab.

OrtVs, & oCCasVs, Boreas, & CoerVLVs AVster
PLanXerVnt CIneres, Magne PhILIppe, TVos.

Sunt tamen haud exigua ingentis solatia luctus, ab D. Ambrosio luculenta oratione, quam de Magni Theodosii excessu habuit, expressa; quod tantus Imperator recessit à nobis, sed non totus recessit. reliquit enim nobis LIBEROS SVOS, in quibus eum debemus agnoscere, ET IN QVIBVS EVM CERNIMVS & VIDEMVS. Alter vero est Serenissimus Tuus Frater, FERDINANDVS, anno proximè superiore communi omnium bonorum gaudio in Bohemiæ Regem euectus, cuius ardens in Catholicâ Religione studium, vti semper antea & post, ita tum maximè enituit, cum in panagio iureiurando à suis sub paternæ ditionis primordia exigendo, & ipse vicissim ad sempiter-

FERDINANDVS REX.

nam

nam,& nunquam de libro Dei, nunquam de bonorum omnium prædicatione delendam sui Nominis memoriam iureiurando se obstrinxit, constantissimè denuncians, prius vitam positurum, quam in iis, quæ ad Religionem pertinent, quidquam sectariis concedat. neque ambigimus, quin cui dignum Archiducali culmine, dignũ Austriaco Rege symbolum est, SOLI DEO CONFIDERE; illum Deus volens propitius ad immortalem sui Numinis gloriam, Orthodoxæ Ecclesiæ incrementum, salutem plurimorum, & Augustæ Domus felicitatem dignitatemque propagandam, vberiore cælestium gratiarum irroratione, regnorumque accessione cumulabit. Vide nunc, SERENISSIME PRINCEPS, in quota diuinæ, vt ita loquar, felicitatis parte reponi deceat, Austriacos Tui sanguinis Principes, dum Christianam remp. ceruicibus suis sustinerent, quod Innocentium Pontificem quondam ex vrbe in Germaniã rescripsisse meminimus; quantò sublimius ascenderunt, tantò robustiorem murum pro domo DEI extitisse, vt nemo omnium tanta difficillimorum temporum vicissitudine, tot hæreseon & diuersarum opinionum emergentibus monstris, in heterodoxorum partes abierit, nemo vlli vnquam schismati adhæserit; sed fidos se Romanæ atque Apostolicę fidei ac Sedi defensores exhibuerint; nemo omnium sanguine aut vi quapiam atrociore ditionem ampliarit, sed vel connubiis, & pace, vel ob res præclarissimè gestas munerariâ donatione, in tot amplissimorum regnorum possessiones sint intromissi. Videlicet pertinebat ad absolutissimam Augustæ familiæ gloriam, non tantum acquirere regna, debellare Reges, hostes à finibus propulsare; sed etiam pacem & pacis officia cum dignitate colere, æquum omnibus ius dicere, fouere artes, Religionem tueri, præcidere litium

 caus-

caussas; nec minora virtutum exempla, quam ornamenta additamentaq; regnorũ posteris relinquere; illorumq; bonorum copiam suis conciliare, sine quib. nullis etiam armis lacessita imperia interire necesse est. Præclarè igitur Cæsarei Sanguinis, Principis Catholici, Defensoris fidei, patriæ Parentis officio functus es, præclare gloriæ & famæ Domus Austriados, præclarè & pietati Tuæ, & eorum, à quibus ortus es, laudibus respondisti; dum hac constituta pietatis & Artium officina in Alsatia, cui aui Tui jam abhinc annos mille Landgrauiatus titulo præfuerunt, cui tot retro sæculis ex eadem stirpe alii in summo Imperii fastigio collocati, curam operamque vigilanter impenderunt, Religionem ac fidem omnibus iis præsidiis communire adlaboras, quibus aduersus improborum Artes, quorum furore superioribus annis tantopere iactata fuerat, satis in posterum tuta fore videatur.

CAPVT II.

DOMVM AVSTRIACAM PER SERENISSIMOS ARCHIDVCES COMplurium in Orbe Christiano ACADEMIARVM Parentem, atq; Altricem esse.

EQVIDEM veterum Annalium monumentis consignatum reperio, pace Orbi Romano restituta, neminem Principum æquè ac Ælium Hadrianum, qui Traiano suscesit, prouinciarũ, littorum, ac marium peragratione, tanta tam breui tempore spacia emensum esse; & cum summo Vrbium ac coloniarum siue instruendarum siue instaurandarum desiderio inardesceret, integras fabrûm,

fabrûm,lapicidarum,& omnis generis opificum cohortes veteribus ædificiis ab interitu vindicandis, nouisque erigendis, centuriatim etiam sub signis ad specimen legionum militarium circumduxisse. vnde illum Restauratorem Orbis terrarum, & locupletatorem, non viuæ tantum vocis præconiis,sed numis etiam,in eius honorem cusis,percusisque nominarunt. quod si tam honorifica compellatione, tamque pleno dignitatis elogio eum subditi cohonestandum rati sunt, apud quos theatris omnium turpitudinum arcibus construendis,excitandisq;, delubris, & idolorum simulacris indelebilem potius dedecoris famã, quam honoris memoriam promerebatur; quæ non laudum encomia, quasue Panegyres non ii Principes,& in Principibus augusta Domus Archiducum Austriorum assequetur;quorum impensis,opibusque,tot adornatis Academiarum domiciliis, quibus respublicæ florent,& ad virtutem atque humanitatem adolescentum ingenia imbuuntur,celeberrimæ quæque ciuitates instructæ sunt; vt dubium Orbi Christiano reliquerint,submissiusne Imperatores bello sagatos, an Parentes pace togatos revereatur? Et fuit per ea tempora,quibus in Domum Austriam Imperialis fastigii Augustum decus translatum est,partim pacis beneficio, quæ perinde bonas Artes, atq; vernum tempus flores in arboribus indulgentiore quodam auræ Fauonio adflante, solet euocare, partim Dei Opt. Max. barbariem atque ignorationem ab Europa sub Optimis Imperatoribus profligare parantis consilio, in multis diuinus quidam ardor ad publica disciplinarum emporia per Academias excitanda.quos dum apud me tacitus recenseo,facilè video, SERENISSIME PRINCEPS, me non citra ingrati animi piaculum SERENISSIMÆ Tuæ Gentis ARCHIDVCES silentio posse transire; qui sicut præ ceteris aliarum familiarum tum Cæsaribus,tum

Dyna-

Dynaſtis, per tot egregia pace belloq; parta trophæa, eximiam quandam altiſsimarum virtutum exaggerationem in imperii ſui theatro palam omnibus repręſentarunt; ita dederunt operam, vt reſpublica etiam Academiarum ornamentis, ſine quibus Laureę triumphales exareſcunt, florentior ad poſteros transmitteretur. In his iure Princeps erit RVDOLPHVS IV. cui poſtea ex reb. præclarè geſtis Magnanimi, ex tot Deo dicatorū in Auſtria hominum Aſceteriis conſtitutis, Fundatoris nomen datum: qui vnà cum ALBERTO III. & LEOPOLDO cognomento Probo Archiducibus Germanis, quibuſcum ſemper coniunctiſsimè vixit; Viennæ (quam priſcis Flauianam dictam ab aris Flauianis, Ptolemæus commemorat) fouendis bonarum Artium ſtudiis, & pietati vnicè deditus, Viennenſem Academiam, priuilegiis ex Romana & Pariſienſi Vniuerſitate deriuatis, erexit. quam deinde ab Vrbano Summo in terris Paſtore id nominis VI. firmatam ita ciuili etiam iure ſtabiliuit, vt edicto cauerit, quoties S. P. Q. Viennenſis nouum Cos. crearet, conceptis verbis admoneretur, daret operam, ne quid Academia Viennenſis detrimenti caperet. Pietati vero dandum eſt, quod Ædem D. Stephano Protomartyri Sacram, cuius Parens fundamenta iecerat, RVDOLPHVS ad faſtigium deduxit, cumq; antea Parœcia eſſet, Cathedralem eſſe iuſsit; & quo Academiæ conſultum ſolidiùs iret, ſanciuit, vt in Canonicorum Collegium emeriti Profeſſores adlegerentur. Eandem vero poſtea corporis ſui exuuiis honeſtauit. Quare nec ingrati, nec immemores Academici, diem XXIV. Iul. quo Mediolani vita functum faſti annales commemorant, gratæ recordationis ergô, frequenti cætu & anniuerſaria piarum cærimoniarum religione agitare conſueuerunt. cæterum

ACADEMIA VIENNENSIS IN AVSTRIA.

cum

cum iniuria temporum eousque & Catholicæ disciplinæ vigor, & flos adolescentum contabuisset, vt è tam celebri Academia ad annos facile XX neminem vnum Academicorum Sacerdotio insignitum earum rerum curiosi notarint; FERDINANDVS I. Romanorum Rex Vrbano Labacensi Antistite, qui ei à confessionibus & concionibus erat, Societatem nostram commẽdante, eam sibi sub annum M.D.LI. aduocandam ratus, à Claudio Iaio, vno è decem primis (qui S. Pauli epistolas interpretabatur) accepto experimento; datis continuò ad Pontif. Max. & Ignatium Loiolam Societatis Parentem litteris, florentissimum inibi Collegium esse iussit; quod tum Augusti Successores, perindeatque ipsam Academiam singulari beneuolentia prosecuti sunt, tum Tu ipse, SERENISSIME PRINCEPS, cum SERENISSIMO REGE, Germano Tuo, non mente tantum beneuola, sed manu etiam benefica, & alias, & ab nupero illo fatali incendio magna dignatione adiuuisti. Altera sese nobis Academia offert in Alsatiæ Superioris finibus Archiducali vestræ Familiæ iam à multis retrò sæculis hæreditaria, FRIBVRGI IN BRISGOIA, quam vrbem BERCHTOLDVS IV. Zeringiæ Dux, is, cuius deinde stirps in Vestrũ sanguinem coaluit, castro cumprimis posito, sub annum reparatæ salutis MCLXXIX. ædificauit, cumque eam natura & loci genio ita communitam cerneret, vt mœnibus aliis aut propugnaculis frustra vallari videretur, ab hac libera constitutione nomen ei inditum est; eandemque Fridericus II. id nominis Cæsar, sub annum MCCXIX. magnis priuilegiorum ornamentis extulit; sed longè nobilius ALBERTVS VI. Austriaci sanguinis ARCHIDVX, cognomento MITIS, Ernesti Ferrei Filius, Friderici IV. Frater, Academia sub annum M.CCCC.LX. egregiè fundata, & PII. II. Pont Max autoritate stabilita, euocatis Viennâ Austriæ Theologiæ, Iuris Canonici, & Legum Doctori- *FRIBVRGENSIS in Brisgoia.*

bus, decorauit: quæ ſicut Albertum Archiducem Fundatorem, ita Fridericum IV. ex Archiduce Auguſtum reſtauratorem memoriâ prædicat ſempiternâ. Laudemne hic iterum PHILIPPVM II. CAROLI FILIVM verè AVSTRIVM, ampliſſimi omnium ætatum imperij Monarcham, Pium, Felicem, Triumphatorem, & Pacificum, acerrimum Catholicæ fidei religioniſque maiorum DEFENSOREM, qui ad eam potentiæ ac maieſtatis amplitudinem Dei Opt. Max. benignitate penetrauit, vt iam gloriæ domicilium non Atlantici Chinenſiſue Oceani, ſed iiſdem quibus ipſe Solis curſus terminis definiret. quare illum meritò Germani Carolo Magno, Gallia Herculi, Italia Dauidi, Siculi Africano, Hiſpani Alexandro Magno, Turcæ Iulio Cæſari, Afri Hannibali compoſuerunt; cuius inter cætera bellicæ fortitudinis & pietatis facinora illud etiam magna cum laude reponunt hiſtoriæ, quod cum ſub annum Chriſti Vnigenæ M.D.LVII. S. Quintini fanum Picardiæ oppidum collecto ingenti Hiſpanorum & Belgarum exercitu obſediſſet, Sextili mẽſe, feſto Laurentij Diui tutelaris rite vouit, ſi partâ victoriâ, eiuſdem deprecatione belli finis foret, ſe B. Leuitæ auguſtiſſimum in Hiſpaniæ regno templum excitaturũ. ergo cæſis ad internecionem hoſtibus, belloque captis cæteris, glorioſiſſima ad eam diem victoria potitus, iam voti damnas proximè locum illum, quem Carolum V. regnis ſponte abdicatis triennium ipſum in cæleſtium rerum meditatione occupaſſe meminimus, IN ESCVRIALI Septimo à Madrito lapide, ad radicem montis, Templum, ſimul ampliſſimo Sodalibus Hieronymianis cœnobio conſtituto, exædificauit, eique præter admiranda naturæ atque ingenii opera, illuſtrem ſub eiuſdem D. Laurentij tutelâ Academiam vetuſtiſſimorum librorum bibliohteca, quæ vni Vaticanæ Pontificię ſecunda eſſe dicitur, mirificè decoratam adiunxit. Nec Hiſpaniam dun-

ESCVRIALIS in Hiſpania

duntaxat pace & religione florentissimam; sed Belgicam etiam Bellonæ furiis & tartareis pestiferarum hęreseon monstris, è vicino lacu Batauico circumfrementibus, olim tantum non euersam, Academiâ idem PHILIPPVS recreauit. Nam Duaci Aduaticorum ad Scarpum amnem, vrbe inter Flandriæ ciuitates mercimonio clarissima; iactis sub annũ M. D. LXII. Academiæ fundamentis, Francisco Richardoto Atrebatensium Præsule, viro omni disciplinarũ genere excultissimo, & tum Regi, tum omnibus Ordinibus vnicè caro, quiq; eloquentia Tridentinam Synodum exornauit, perorante; cæptumq; Regis Catholici institutum persequente, amplissimis priuilegiis, & honorariis propositis, munitissimam sapientię & pietatis arcem aduersus increbrescentes per Germaniam Galliamque hæreses constituit. Quibus ne iuuentus Belgica corriperetur, insequentibus annis Rex verè Catholicus edicto grauissimè cauit, ne quisquam è prouinciis Belgicis, ad aliam Academiam studiorum gratia (excepta sola Romana, velut communi omnium patria, & bonarum Artium Matre) sese reciperet. Porro, quia frequentissimus ibidem Gallici idiomatis vsus est, eius ad eruditas linguas professionem sibi adiiciendam putauit; tum ne linguæ aliubi addiscendæ occasione, peregrinam vnà fidem combiberent; tum vt minore impendio Gallicanæ linguæ studiosi Galliam ipsam solo natali, magno patrię ornamento reperirent. Eandem postea Vniuersitatem egregia Cænobiarchæ Aquæcinctensis in literas munificẽtia, & in Societatem volũtas, Collegio illi attributo, insignitè nobilitauit. Quid vero de illa, quam CAROLVS Parẽs Tuus, æternæ memoriæ Princeps, qui vt erat eodem anno in hãc lucem editus, bono totius Austriæ, imo Ecclesiæ Orthodoxæ, quo Societas nostra primum ab Paulo III. Pontif. Max. confirmata fuit; ita eodem anno, quo Tu, SERE-

DVACENA in Belgio.

GRAECIENSIS in Styria.

NISSIME PRINCEPS, vitam primum aspexisti, nouam Græcii, Styriæ Metropoli, Academiam inter tot hæreticorũ, Societatem adlatrantium, odia, Gregorii XIII. & Sixti V. Summorũ Pontificum consensu, postea etiam Cæsareis decretis firmatam, constituit: vt populis, qui sibi parerent, variis hæreseon erroribus implicatis subueniret. qui ad diem Academiæ publicandæ condictum, in amplissimo templo, magnifica pompa; posteaquam Secconiensis Antistes idem ille, qui Te Sacro Baptismi fonte lustrauit, Sacrosanctam insigni cæremonia liturgiam de S. Spiritu peregisset, per Cancellariũ, diplomatis primum, tum Rectoris insignibus, sceptro, & Academiæ sigillo, Præposito Prouinciali & Societati contraditis; eiusdem fidei & gubernationi non sine publica amoris testificatione, & prçfatione honoris plenissima, quod ad Dei gloriam felix salutareque esse iussit, ipse coram, cum Serenissima Coniuge, Matre Tua Felicis Memoriæ amantissima, Ferdinando Fratre, magnoque Præsulum Sacrorum, ac Prouincialium Regulorum consessu, & præcipua totius Styriæ nobilitate, commendauit. neq; hic sese indulgentissimorum nostri Ordinis Parentum effusa beneuolentia constringi passa est, quin Disputationibus Academicis, quæ triduum ipsum consequens tenuerunt, de Pronunciatis tum ex Theologia, tum etiam Philosophia depromptis, tandem etiam in literariæ lætitiæ auctarium, Tragœdiæ honori Principum datæ, gratissima plausus admurmuratione, magno fremitu inuidentiaque Nouatorum, interesse non sunt aspernati. Nec dispar fuit aduersus minimam nostram Societatem beneuolentiæ, amorisque sensus Inuictissimi Cæsaris MATTHIAE, qui hodieq; Imperium Romanum moderatur; id quod ei diuturnum esse omnes vouemus, quiq; Tuus, SERENISSIME

PRAGENSIS in Bohemia.

SIME PRINCEPS, olim in Sacro regenerationis lauacro apud Deum & Ecclesiam Sponsor fuit & obses; nunc vero huiusce Tuæ Academiæ collaudator, ac publico suæ Maiestatis diplomate fautor, tutorque. Ille igitur anno superiore nouam ab se fundatam dotatamq; Academiam in magnæ Bohemiæ Clarissima Metropoli, Augustaque Cæsarum Vrbe regia, Collegio Societatis nostræ iam pridem antea per Ferdinandum I. Imper. sub annum M. D. LV. datis ad B. Ignatium Loiolam literis, constituto, suæ in Religionem tuendam constantiæ, in Bohemicam Gentem tutelæ, in Socios amori contestando, attribuit. Et sanè quondam Carolum IV. id nominis Imperatorem, eundemque Bohemiæ Regem, Academiæ ibidem collocatæ autorem fuisse accepimus, tantisque eam fauoribus complexum, vt ad scholas Magistrorum ingressus, vbi quatuor ipsas horas disceptationi literariæ interfuisset, atque à Proceribus Cœnæ tempus adesse moneretur; hanc verò cœnam suam esse dictitaret. quam eandem posteris annis propudiosa Hussitarum hæresi, & bellis seditionibusque attritam, FERDINANDVS I. & MAXIMILIANVS II. AVGG. (quò Bohemorum saluti enixius consultum irent) vigilantissima cura restituere conati sunt: sed vt feras quasdam constat nunquam mitescere; sic inuenias inmites atque implacabiles mortalium animos pertinacibus errorum opinionibus deprauatos, sæuitiem semel conceptam mordicus fouere. Quare omnibus aliis fidei sanciendæ remediis, nequidquam admotis, alteram ab hac Academiam velut inexpugnabilem pietatis & sapientiæ orthodoxæ Acropolim hęretico furori opponēdam Inuictissimus CÆSAR pro sua in rem Christianam cura existimauit. Istis itaque Septimam Tuam Molshemensem, SERENISSIME PRINCEPS, (qui numerus in Sacris profanisq; religionis & perfectionis

Cromer. in Polon.

MOLSHEMIANA in Alsatia.

nis argumentum est) velut insignem laudum Austriacarum coronidem adiungendam esse putauisti. Videlicet vt quemadmodum Caroli Magni primi per Germaniam Academiarum Parentis æuo, septem Metropoles per Italiam, Genua, Rauenna, Mediolanum, Forum Iulium, Gradus, Tarentasia, Ebrodunum; totidem in Imperio Germanico, Colonia, Maguntia, Treuiros, Salisburgum, Vesuntio, Arelatum, Vienna, tamquam fortissima tutandæ fidei, & ad dignitatem munificentissima propugnacula, costitutæ sunt; sic ab Serenissima Vestra Domo hasce Artium laudatarum ac religionis Metropoles pari Religionis & sapientiæ commodo atque ornamento à fundamentis excitatas Europa possideret. Quod si iam illas etiam, quas vel collapsas erexistis, vel florentes stabiliuistis, percensere adniterer, patentissimus sese mihi de integro encomiorum campus aperiret. Vt enim boni Architecti & nouas domos parant, & veteres reparant, vtrumq; pari laude ac commendatione; ita indulgentissimi populorum & patriç Parentes, qui non tam sibi remp. quam se reip. datos meminerunt, pari cura industriaque & nouas, sicubi necessum esse vident, disciplinarum palçstras educere, & collapsas restaurare adnituntur. Quam laudem Tuis quoque, SERENISSIME PRINCEPS, florenti huius Diœceseos administratione prçclarè gestis deberi, promptum foret euincere; nisi me partim hic Archiducalium Academiarum septenarius, tamquam in sabbatismo conquiescere moneret, partim augustior, certè extra omnem assentationis suspicionem posita, Generosissimorum Tui sanguinis & Nominis Principum series ad sui si non commendationem; at commemorationem raperet, quos Tute Tibi in omnem vitam ad Austriacarum virtutum æmulationem Duces atque antesignanos statuisti.

CAPVT III.

SERENISSIMVM LEOPOLDVM, GENEROSISSIMORVM SVI NOMINIS è Domo Austriaca Maiorum indoli hac ACADEMIAE FVNDATIONE quam maximè respondisse.

SANE Plutarchus grauis inter eruditos autor, multis argumētis ostendit, à parentibus semina quædam latentiaq; virtutis principia, perinde atq; corporis habitum & lineamenta in ipsa generatione liberis communicari. quin & idcirco illustrium familiarum bono nata stemmata suspiciunt posteri & commendant, vt hac auorum recordatione, qui ab luxu inertiaq; semoti, egregiis heroicarum virtutum facinoribus editis, semet cumprimis, tum genus, & seros nepotes in excelso illo gradu posuerunt; ad sanguinem quoque suum bonis & fortibus immiscendum inardescant. huc enim, ceu digito quodam Mercuriali intendebant imagines illæ Atheniensium, quasi documenta nobilitatis ad rerum gerendarum industriam in posteritate promouendam, publico loco (quem ποικίλην dicebant) collocatæ; hoc in campo Martio clypei honorum titulis insignes ab Appio Claudio dicati, hoc ceræ fumosæq; Romanorum statuæ priuis etiam locis, in atriis, tablinisue positæ; quod eas intueri, atque ad earum recordationem facta infectaque sua explorare non minus iucundum, quam vtile & fructuosum arbitrarentur. Quare sicut olim Q. Fabium Maximum & P. Scipionem de se affirmare solitos fatetur Salustius, quoties maiorum imagines spectarent, vehementissimè sibi animos ad virtutem inflammari; ita Tuum, SERENISSIME PRINCEPS, Auum Maximilianum, Valentiniani laudatissimi inter Christianos Cæ-

ſaris exemplo, illud inter cætera curæ habuiſſe, doctorum monumenta non ſiluerunt, vt doctiſsimis, qui in eam ætatem inciderant, Chronographis, Stabio, Sunthemio, Cuſpiniano, Lazio, hoc negocii daret, quo priſcas & illuſtres Germaniæ familias ſitu pęnè ac puluere obſitas, ad inſigne totius nationis ornamentum in lucem producerent. Vt enim maiorum facta in clypeis referre decorum eſt; ita heroicarum virtutum indolem cum ſanguine propagari, longè glorioſiſſimum. Quod ſi ad ſanguinis communionem eiuſdem etiam nomenclationis conſortium addatur, quis non videt, hoc velut quotidiano ad exempla maiorum ardentius conſectanda claſſico generoſas animas conſurgere; vt ſuis, quibuscum viuunt, non auita ſolum nomina, ſed digna etiam nominibus illis facinora (vti militem quōdam Alexandri nomine dictum Alexander Macedo inhortabatur) repræſentent: vt non perperam hinc in Eccleſia Dei morem inoleuiſſe tradant, quo parentes liberis ſuis die luſtrico Cælitum nomen quodpiam ad Sacrum Baptiſmi fontem imponere, vel æmulationi, vel dignitati olim futurum conſueuerunt. Liceat ergo mihi, Serenissime Princeps, qui bona Tua voluntate per Auguſtam Domum longius exſpaciatus ſum, etiam ad ſtirpis & Nominis Tui Principes nonnihil diuertere. nec enim ignoro decorum eſſe apud Dynaſtas etiam eos, qui in virtutis faſtigio iam poſiti, cuncta, quæ vel ſapienter monentur, vel facunde prædicantur, vita moribusque ſuperauerint, id agere, vti ſub blando laudis titulo, & boni quæ faciunt recognoſcant, & alii, quę facere deberent, intueantur. Vtinam vero egregii oris lineamenta ſuis coloribus exprimere, aut viuos arte politiſſima vultus ducere noſtræ eſſet facultatis: ſed quando iſtud optare mihi quam ſperare procliuius eſt, faciam quod Sextum Ruffum quondam apud Valentinianum Imperat. feciſſe comperi; & ita res ab Leopoldinis Auſtriaci Sanguinis

guinis Heroibus prȩclarè gestas signabo potius,quam eloquar; vt præteriti facta tẽporis non tam cognoscere,quam numerare videaris. Ergo inter eos,quos à limitum præsidatu ex Germanicæ linguæ fontibus Marchiones dicimus, fuit id nominis primus LEOPOLDVS cognomento Illustris, quod ei nomen LVDOVICVS IV. Augustus,cui bello Hũgarico præclaram operam nauauerat, imposuit, ex quo eum, Illustrem Comitem & dilectum suum propinquum compellauit. hic deinde ab Arnulpho Cæsare, Austriaco limiti præfectus, Cussalem Hungarorum Regem, cum numerosa Procerum manu, ad Phiscam amnem contrucidauit. Excepitq; illum alter eius nominis,cognomine FORTIS,Henrico Sancto Cæsasari ob corporis maximè & animi fortitudinẽ ita in paucis carus acceptusque, vt suam ei Sororem Richardam (Richezam alii nominant) illustri virtute fœminam,felici connubio iungendam traderet; quique Auaris siue Hungaris paludem Mȩotidem transgressis,nouasque per Germaniam sedes quærentibus retroactis, Gysone ferreum, quod vocabat, castrum Austriæ limitibus hostiliter occupante in potestatem redacto,robur militare; Templo vero augustissimo id temporis in Hungaria Matris Virginis honori exædificato,quod hodieque Albæ Virginis nuncupatur, religionem orbi Christiano comprobauit. arceque occupata, bissenos ibidem Canonicos diuinis obsequiis addictos annuo prouentu locupletauit; illudque insuper curæ esse voluit, vt Hungaricam iuuentutem bonis Artibus erudirent. Porrò ex Richarda, militaris virtutis hæredem, robusti corporis Henricum, ideoque Ferreum dictum; pietatis vero cumprimis Popponem protulit, consequentibus annis è Bambergensi Præposito recens per Henricum Aug. constituto, Metropolitanæ Treuirorum

Ioan.Bredeau lib.2. cap.23.

LEOPOLDVS I. MARCHIO AVSTRIAE cogno. ILLVSTRIS.

Henr.Pantaleon in Viris Illustr.Germ.

LEOPOLDVS II. FORTIS.

Reusner. in Genealog. Oper.Basil. Ger. de Roo

Otto Frisi. lib.6.c.28. Dietm.l.7. Chron.

Ecclesiæ Antistitem, qui trium Cæsarum Augustorum, Henrici Claudi, Conradi, & huius filii Henrici III. beneficentia gratiaque ad res Ecclesiæ constituendas vsus, publica ædificia complura non minore Metropolitanæ suæ Ciuitatis emolumẽto, quam religionis decore constituit; è quibus vel præcipua S. Simeonis Sinaitæ (quem è Sacræ terræ peregrinatione vnà secum Poppo adduxerat) Basilica hodieque supereminet, ipsius etiam Popponis tumulo illustrata. quem non pietatis modò, sed sanctitatis etiam opinione floruisse argumento sit, tum quod constet olim à Danis sepulcrum eius religionis ergò ex voto frequentatum; tum quod sæculo proximè lapso, sub annum M. D. XVII. cum Maximilianus I. illius vidẽdi desiderio captus, Richardi Archiepiscopi voluntate, aperto eius tumulo, vt quis mortui situs, quæ membrorum cõformatio, aliaque omnia, pro explorato perdisceret; apparuit eodem planè situ iacere Pontificem, quo ante annos quingẽtos, & quod excedit, in exciso è lapidea templi mole sepulcro conditus fuerat, omni tabis & vetustatis iniuria superiorem, vestimentis tam integris illæsisque, vt non modò Dalmaticæ, puræ togæ, casulæque, & sandaliorum ornatus internosci expressè posset, sed & manus ambæ commissuris & artubus, vt in lipsanis beatorum compluribus factum est, velut ad vsum motumq; flexiles cernerentur. Nec quidquam degenerauit LEOPOLDVS inter Marchiones id nominis III. Alberti victoriosi inclyta proles, qui ob egregia virtutis & fortitudinis exhibita domi militiæque exempla cognomentum Fulminis Terrorisque Hungaricæ & Bohemicæ Gentis obtinuit. Vbanem (quem alii Ouonem dicunt) Tyrannum, Petro Hungarorum Rege, S. Stephani successore, in exilium pulso, Austriæ limitem, cæteraque Danubio tenus infestantem, Alberti Parentis, tum Popponis Treuirorum Antistitis ope, ingentibus Hungarorum copiis, spectata virtute atque incredibili se-

LEOPOLDVS III. FVLMEN & TERROR BELLI.

Otto Frisi. lib. 6. c. 32.

ſi felicitate funditus deletis, profligauit; nec antea conquieuit, quam Henricus Cæſar, venia Ouoni facta, Concilio Conſtantiam accito, regni partem cum illo paciſceretur. At vero poſtea, vt incerta ſunt omnia rerum humanarum, dum nuptiis, quibus Agnes Pictauorum Principis Guilielmi Filia Cęſari deſpondebatur, Ingelhemium euocatus intereſſet, ipſo iuuentæ flore, præmaturo exitu raptus, deſtinatum lætitiæ diem luctu ſui funeris ad ipſos etiam Auguſtos penetrante, funeſtauit. eſtque à Poppone corpus Treuiros delatum, ac honorificè conſepultum, cuius obitum veteres faſtorum libri V. Iduum Decemb. conſignarunt. Sed hanc iacturā egregiè reſarſit LEOPOLDVS IV. Erneſti Strenui, quem præclariſſimum, nobiliſſimum, & fideliſſimum S. R. I. Principem ac Dominum Imperator compellauit, ex Mechtilde Filius, is, cui ob corporis proceritatem morumque elegantiam Pulcri cognomen inditum fuit, quique paternarum ditionum ex aſſe hæres, bello aduerſus Bratislaum Bohemiæ Regem, & Germanum eius Conradum Morauiæ Marchionem in Auſtriæ limitem ſeſe effundentes fortiter geſto, Salomone Hungarorum Rege exſule in regnum reducto, & profectione longinqua vna cum Godefrido Bullionio in Palæſtinam ſuſcepta commendabilis; templum, quod ex voto nuncupauerat, gratiis Deo ſoluendis, in honorem DD. Philippi & Iacobi Apoſtolorum, eo loco, quem hodie ab Azone cognato, (qui ei miſſu Popponis Treuirenſis adfuerat,) Aſmansmunſter, quaſi Azonis pratum dicunt, conſtruxit: idemque deinceps per S. Altmannum Pataviæ Antiſtitem admiranda vitæ ſanctitate illuſtrem, ſolemni cæremonia Deo voluit conſecrari. Sed hic ſublimius quoddam dictionis genus, ſi noſtra id exilitas pateretur, vſurpandum foret, dū LEOPOLDVM id nominis V. LEOPOL-

LEOPOLDVS IV. PVLCHER.

Reuſn. in ſtirpe Carolin Heuter. in reb. Belg.

S. LEOPOLDVS V. PIVS.

DI Pulcri ex Itha Henrici III. Imp. filia sobolem, felici illo atque immortali virtutum Christianarum, à quibus PII cognomen accepit, choro vallatum producimus. Qui religiosissimus Princeps, ducta in matrimonium Agnete Henrici IV. Imperatoris pari sanctitate & moribus fœmina, fæcunda viginti duûm liberorum Matre futura, multorum conditor atque ampliator Cænobiorum, fidei & iustitiæ Zelo alterum Orbi Christiano Iosaphatum repræsentauit. Hic Princeps à teneritudine ætatis, quod Cuspinianus non siluit, spem indolis præbuit futuri incrementi, in egenos liberalis, in oppressos clemens, in ferreos iustus, vt vulgo Pius, Felix, & pauperum Pater diceretur. siquidem vbi post Stephanum Pannoniæ Regem Austriam armis & populationibus diuexantem, repressum, pacemque suis redditam, Templum Virgini Deiparæ condere vna cum Agnete destinasset, & de loco Ædis construendæ alia atq; alia, vt fit, cogitaret, prodigio datum est, quod ventus derepente coortus flammeolum Agnetis capite leuiter sublatū, procul ab oculis in remota deportarit. idemq; nono post anno, per LEOPOLDVM animi caussa foras egressum, inter vepres super Sambuci frutice ita, vti antea illæsum repertum, ibidem, id est, octauo ab Vienna lapide, templo Deiparæ nomine condendo fundum designauit; cui etiam Cœnobium addidit, quod Claustriburgum nominant, amplissima dote largisque vitæ subsidiis in Dei cultores profusa, Ottone Filio magna pietate & doctrina (quam in Parisiensi Academia comparauerat) primo eius loci Præposito instituto, postea vero ad Frisingensis Ecclesiæ Pontificatum euocato. Idem deinde templum Apostolicæ Sedis Antistes Innocentius II. qui D. LEOPOLDVM ob insignia merita B. PETRI FILIVM reuerenter appellauit, Eugenius item III. & Vrbanus III. amplissimis immunitatibus, & cælestium condonationū propositis præmiis exornarunt. Nec multo post

Ioan. Cusp. VVolffg. Lazius A-uenti. Chr. Carionis. Pantaleon. in Prosopo. Heroum. Surius to. 6 xv. Nouēb. in vita S. Leopol. Baron. Mart.

to post alterum duodecimo ab Vienna lapide, Sanctæ Crucis in valle vmbrosa, condidit, & liberalibus impensis instructum, vna cum domicilio, S. Bernardi Alumnis, qui ad Claræuallem recens coaluerant, consignauit. Hîc ille subinde nocturno silentio Diuorum obire memorias, seque cælestibus aris feruenti precatione supplicem aduoluere, Deique seruorum precibus obnixius commendare assueuerat. Post mortē vero, quam anno M.C.XXXVI. inter Fratrum Cisterciensium preces & lacrymas obiisse scribitur, admirandis Dei ope prodigiis claruit. nam quid ego tristia morborum agmina ad huius Beati memoriam sedibus suis pulsa fugataq; memorem, tabidos artus suo vigori restitutos, fluentes paralysi neruos sola prece substructos, auribus, pedibus, lingua, cæterorumque membrorum officio captos muneribus suis ad vota D. LEOPOLDO nuncupata redditos, quid propulsatas corporibus febres, pestem crebris funeribus gliscentem huius Diui meritis exstinctam, naufragos portui, vinculis mancipatos libertati, mortuos vitæ redonatos percenseam? quæ omnia Friderico IV. Imp. sub annum Virginei partus M.CCCC.LXXXV. postulante, Francisco autem Patauo Iureconsulto grauiter & copiosè differente, Innocentium VIII. Pontificem Maximum permouerunt, vt LEOPOLDVM cælo iam ante vindicatum, publicis tabulis anniuersarium eius memoriæ diem quintum decimum Nouembris tribuens, in Sanctorum numero esse pronunciaret. qui ad hanc diem inter senos AVSTRIAE Patronos tutelares religioso Austriacorū cultu celebratur: suiq; nominis alterū LEOPOLDVM LARGVM paternarum virtutum æmulum, terris reliquit, qui Prouincię gubernaculum à morte D. LEOPOLDI capessens, bellis in Bauaria ipsum quadriennium præclarè gestis, Bauariciq; Principatus administratione, & Cœnobio

LEOPOLDVS VI. LARGVS.

bio Sanctę Crucis à Parente fundato, vectigalibus ac pratis egregiè locupletato memorabilis extitit. Qui OTTONEM Frisingensium præstanti doctrina, Et Conradum Salisburgensem, atque Passauiensem, Antistites, fratres Germanos habuit. Quo sine liberis ex hac vitâ erepto, Henricus ex D. LEOPOLDO, Frater, summæ integritatis laude insignis, quiq; è Marchione primus per Fridericum Barbarossam Austriæ Dux creatus est, alterum ex Theodorâ LEOPOLDVM eius appellationis VII. cognomine VIRTVOSVM magno familiæ bono dedit. Enimuero is vicesimum ætatis annū ingressus, eâ dexteritate prouinciam gubernauit, vt omnium voce PATER PATRIÆ appellaretur; eâ religione, vt propter singularem, quâ Deo dicatos homines complectebatur, beneuolentiam, CLERI PATER à multis audiret; eâ felicitate, vt ad amplissimum Austriados Ducatum per Kunigundam Filiam, Styriam adiecerit; eâ bellicosi animi magnitudine, vt cum esset Sacris bellis exercitatissimus, in castris ad Tyrum Ptolemaidem ob rem strenue gestam ab Friderico Friderici I Filio totius in Oriente belli Dux crearetur, totiusque exercitus suffragio insignia noua rubro & albo colore interstincta in Austriacam Domum transtulerit. Sic enim accepimus: Ex iis Legionibus, quæ in Gallia Transalpina per Cæsarem Dictatorem conscriptæ fuerunt, vnam Alaudarum, siue Gallico vocabulo, Galleritam, Alaudarum symbolo insignē appellatam; quam disciplina cultuque Romano, & fide inprimis bellica probe instructam C. Iul. Cęsar postea vniuersam, teste Suetonio, ciuitate donauit. eandem vero Legionem ordine X cum Rheni & Danubii ripæ ab Romanis quaterdenis legionibus custodirentur, eo, quo nunc Vienna est, loco, stationem habuisse. quæ Legio posteaquam Decelabo

LEOPOLDVS VII. VIRTVOSVS, aliàs VICTORIOSVS.

Sueton. in Iul Cæsare. Tranquillus, in Vitell. Plin. li 16. c. ult. VVolffg Lazius in rep. Rom. Pōtus Heuter. in Belg. Vlyss. Aldrouand. in Alaudu. Iaco. Menlius in lib. de Austr. V C. Theo. Piesford. in Stemm. Habsburg

cebalo Dacorum Regi armata manu transitum sibi aperire volenti, ab Cæsare M. Aurelio, propter expertæ iam virtutis specimen alias sæpenumero editum opponeretur; illaque singulari fortitudinis exemplo, & Regem ipsum, & magna vi superincumbentes Herulorum, Quadorum, Marcomanorum copias arceret ad immortalem sui nominis, editæque virtutis memoriam, ea regione in solidũ donata est. Quare noui eius ditionis Reguli, AVSTRIACI legionis decimæ Principes, ALAVDAS clypeis appingere pulcrum duxerunt. & manserunt hæc Alaudarum insignia ad vsq; hunc nostrũ LEOPOLDVM, qui vna cum Richardo Anglorum Rege, Alberto id nominis III cognomento diuite, & Bertholdo Zeringiæ Duce, in Palestinę oram aduersus barbarum Christiani sanguinis hostem profectus, cum muro ciuitatis Acconis primùm occupato, ante omnes cum hostibus confligens, candidam vestem, qua nitebat, totam sanguine hostili cruentam, solo spacio, quo baltheus medium hominem tegebat, immuni relicto, ad suos redux victor adiret, concordibus militum suffragiis, æternæ tanti facinoris memoriæ, rubrum clypeum cum lineâ candicante intersectum, prout hodie in gentilicio Austriacę Familię symbolo perdurat, Alaudarum loco impetrauit. Tandem magno Viennensium, quos vnicè complectebatur, luctu, acerbitatem doloris altero sui sanguinis LEOPOLDO, quē HONESTVM agnominarũt, insigni prudentia & alta mente Principe, mitigauit. Is deinde cum Andrea Hungarię Rege (id quod Habspurgi-Austriacę domui ad Maximiliani I. tempora fere domesticum & familiare fuit) expeditione in Palæstinam suscepta, & erepta è faucibus Saracenorum Vrbe Damiata, patriam compluribus arcium propugnaculis muniuit, Cœnobium,

LEOPOLDVS IIX, HONESTVS.

nobium, quod Campum liliorum dicunt, D.Bernardo; Cartusiam Styriȩ, Geyrach nuncupatam, S.Brunoni, Xenodochium S.Spiritus de Saxia, Clinicis, partim eduxit à fundamentis, partim à ruina vindicauit. tandem animis inter Gregorium IX. & Fridericum II. concordandis illaborans vitaque functus in Apulia, suo in Campo liliorum tumulum assecutus est. hoc vno cæteris suppar, vt videri potest, quod LEOPOLDVLVM insigni forma per segnitiem Pædagogi ex arbore deciduum, importunissimè sublatum indoluit. Sed iam tempus admonet, SERENISSIME PRINCEPS, vt ad illos etiam se conuertat oratio, qui maximis & vere regiis virtutibus; inprimis autem belli pacisque artibus, tum pietatis studio, quippe Gentiliciis & peculiaribus Familiæ Tuæ dotibus, id assecuti sunt, vt Archiducali gloria eminerent. Qua in serie merito principatum deferimus LEOPOLDO I. eius nominis Archiduci, Alberti I. Filii, Rudolphi I. Nepoti, Friderici III. Fratri; quem à suis virtutibus Equitum Auratorum gloriam, alii Gloriosum, nominarunt, vt qui præclarissimis militiæ facinoribus magnum Romano Imperio emolumentum peperit. Nam & Henricum Imp. Mediolani ad Longobardici regni statum componendum agentem, à Guidonis Turriani, & Guelphorum factionibus insidiisque in apertam vim erumpentibus, insigni fide ac virtute liberauit, & Friderico III. aduersus Ludouicum Bauarum insigni gloria, & memorabili fraterni amoris affectu dux & comes bellorum adfuit: & paternam cædem egregiè vltus est; & Albigensium hæresin in Gallia Narbonensi ac prouincia Tolosana inualescentem, Innocentio III. Pontif. Max. multis remediis nequidquam tentatis, solemne Sacræ militiæ signum extollente, LEOPOLDVS religione impletus, vna cum Adolpho Montensium

LEOPOLDVS INFANS.

LEOPOLDVS I. ARCHIDVX AVSTRIAE, GLORIOSVS, & AVRATORVM MILITVM GLORIA.

ſium Comite, & Wilhelmo Iuliacenſi, ſtrenuaque militum manu, acerrimè oppugnauit. Quibus magna felicitate geſtis obtinuit per Henricum Imp. vt præter ſertum pinnitum, circum pileum Archiducalem Ernesto Strenuo ſingulari prerogatiua conceſſum, regalis coronæ diadema ſupra Principatus ſui pileum geſtaret. quem tandem maligna febri Argentorati in ędibus Ochſenſteinianis ferunt extinctum. Sed nec longęvus fuit LEOPOLDVS Archiducum II. Ottonis ex Anna Bohemorum Regis Filia ſoboles, Friderici Frater, quem Auſtriacarum virtutum indolem florentiſſima iam tum ætate pręferentem magno bonorum dolore ac deſiderio, immatura falce mors demeſſuit. Ergo damnum reparauit III. id nominis & dignitatis LEOPOLDVS, Alberti Sapientis Filius, quem Probum & militiæ decus nominarunt. Is cum Rodulpho Magnanimo, & Alberto cum Trica, Academię Viennenſis Fundatoribus coniunctiſſimè vixit, & maximis prælıorum exantlatis laboribus, illo, quod cum Venetis propter Taruiſianę Marchiæ limites iniuria occupatos ſuſcipere coactus fuit, auitam ditionem opulentis ciuitatum acceſſionibus iure bellico locupletauit, tandemq; aductſum Heluetios contra fidem datam rebelles, incautius in prælıū irruens ad Sempacum, non ſine ingenti ſuorū ſtrage fuſus occubuit VII. Idus Quint. in Campi Regii Cœnobio tumulatus. Neq; indictum abire patiar huius Filiū Guilielmi Ciuilis Fratrem, quem alii à fucciplen o corpore Pinguem, alii, quam rectè ignoro, ideò Ambitioſum nūcuparunt, quod celeberrimo Francofurti totius Imperii Procerūm conuentu, qui publicę pacis & tranquillitatis cauſſa ſe aduṇarant, (&, vt eſt in veteri chronico, quinquaginta ſupra centum Principes ac Comites, equitum autem & Nobilium quinquies mille conuenerant;) per continens octiduum,

LEOPOLDVS II. ARCHIDVX.

LEOPOLDVS III. ARCHID. PROBVS, & MILITIAE DECVS.

Gerard. de Roo. in Geneal. Auſtr.

LEOPOLDVS IV. ARCHID. PINGVIS

duum, quo deliberatio tenuit, LEOPOLDVS Austriȩ Archidux ea magnificentia hospitalitatem exercuerit, vt esse, & bibere, & pabulum auferre cuiuis liberum esset, cunctisq; penum & aulam apertam haberet. Nec laude caret, quam cum cȩteris cõmunem habet, quod castrum Neostad anum octauo Vienna lapide dissitum instaurauit; tum vero, quod Catarinȩ pientissimȩ Coniugis Philippi Audacis Burgũdionum Ducis Filiæ hortatu, Schœnenstambacense Monasterium prope dirutum non restituit modo; sed etiam luculenta prædiorum & annonæ largitione, adgregatis ibidem è D. Bernardi disciplina Christi pauperibus, eximiè locupletauit. Vides igitur, SERENISSIME PRINCEPS, solam esse virtutem, quæ Heroas illos non aurato curru, sed veris laudib. sublimes in illustrissimo totius Orbis Christiani theatro optimorum Principum coronâ decorauit. iam illa laudatissimorum operum quadriga, in Religionem pietas, domi forisque Sapientia, in bellis fortitudo, in principatu modestia, quos non bonorum omnium plausus, quas non gentium ac populorum laudes, quȩ non publica honorum ornamenta, quam non apud Deum hominesque gratiam familiȩ Vestræ conciliauit? Vidisti etiam, non modo ex Generis & Sanguinis, sed ex eiusdem etiam Nominis cõiunctione magnam Tibi Austriacarum virtutum Orbi Christiano exhibendarum incumbere necessitatem. Vt enim insignia nomina Alexandro apud Lampridium onerosa sunt, & nomen sine actu officioque nihil est Saluiano; vt non vanè Hesiodum inter cȩteras ferrei sȩculi calamitates illam accensuisse opiner, quod nulla in eo liberorum cum parentibus, prȩterquam nominis sit futura similitudo; ita ex aduerso nomina, si iis facta decoraque auorum ex æquo respondeant, honorifica sunt, & vel sola sui memoria venerationem, atq; compellatione obseruantiam exposcunt. Admirentur ergo alij vel maximas res ab

LEO-

LEOPOLDIS gloriosissimè gestas,qui maximam partem grauissimis olim itineribus in Asiam profecti Sacrosanctum Assertoris nostri sepulcrum receperunt: Tuum illud hodiernū factum gloriosius est. illi enim Christiano populo,siquis eodem voti reus peregrinari vellet,aditum ad terram Christi vestigiis consecratam aperuerunt; Tu huic toti Nationi ad Christum ipsum,id est, cælestem patriam iter tutius securiusque patefecisti; illi loca ista,quæ fuerunt quasi Religionis Orthodoxæ incunabula, Ecclesiæ reddiderunt; Tu per hanc Academiam Ecclesiæ magnam inprimis & nobilissimam sobolem restitues, & tot filios Religionis suscipies, quot per Academicarum Artium disciplinas sese aliosq; Deo & Ecclesiæ reconciliabunt; illi res quidem gloriosissimas in finibus barbarorum,sed tamen cum multa suorum cæde coniunctas gesserunt; Tu multitudinem circumiacentē, quæ per suam ab Ecclesia secessionem iam perierat, citra vllius cædem, ad vitam reuocabis; illis solum illud,quod Christus Sanguine suo purpurauit,frequentare, atque armis asserere solemne fuit; Tu animas nō ære,auro,gemmis; sed cruore Christi, quouis obryzo preciosiore,respersas,redemtasq; in hisce literatæ Sapientiæ latifundiis non decolorandas modo, sed vt, quæ bis Tyrio murice lana rubet, penitus (vti eam Tuipse in ætatis flore combibisti) Scientiarum doctrina intingendas accurasti. Quid hîc cesso insatiabile Laudatissimarum Artium & virtutis pectus, vires ingenii, industriæq; prædicare? quibus à prima æui teneritudine,aperto sinu quęcunq; disciplinarum genera recipiens,GRÆCII primum; deinde vero cum Serenissimo Fratre Tuo CAROLO Vratislauiensi & Brixiensi hodie Antistite, Iudenburgi,in superiore Styria, solemnia Philosophorum spacia,exactissimę doctrinæ lineamentis implesti, omniaq; docili animo Philosophiæ,

SERENISS. LEOPOLDVS V. FVNDATOR.

& vero etiam Theologiæ arcana ſic comprehendiſti, vt non maturè magis, quam celeriter multiplicis Scientiæ palmam arriperes. quid, quod ſcriptis atque editis maximarum Artium & abſtruſiſſimarum diſciplinarum theorematis Rudolpho Auguſto Patrueli Tuo æternæ Memoriæ Cæſari dedicatis oblatisque, propalam fructus ingenii, ſolidum ipſum diem, in Ampliſsimo tum Sereniſſimorum Archiducum, tum Sacratiſſimorum Præſulum, & Nobiliſsimi ſanguinis Dynaſtarum conſeſſu, toti Styriæ, effuſa ad iſtius ſpectaculi raritatem pompa, renidentibus & admurmurantibus, imo etiam, quod obſeruatum eſt, magnis viris præ gaudio ſtupori permixto, lacrymantibus, adprobaſti; tum morum elegantia, & pietatis religionisque ſtudio, in Societatis Gymnaſiis ita profeciſti, vt quo tempore alij vix incunabula, Tu ſtabilimenta virtutis prudentiæque poſsideres; & cum cæteri ferè Scholaſtici ex Gymnaſio literario quęrere ornamenta ſoleant, Tu ipſis Gymnaſiis eximium decus & honeſtamentum intuliſti. Interea loci hiſce ſtudiis conſiliisq; ad altiora indies magno virtutis impetu nitentem, maturitate iam quadam doctrinæ & ſapientiæ tempeſtiuum, ad Paſſauienſis Eccleſiæ moderãda gubernacula Paſtore deſtituta Deus admouit; atq; decimo abhinc anno Argentinenſis huiusce Epiſcopatus acceſsione, difficillimis temporibus auctus, poſteaquam cum onere Zelum & animarum lucrifaciundarũ ſpiritum Tibi intendendum duxiſti, nos in eam cogitationem facilè inducis, vt ſicut Te natura Principem & Auſtriæ Archiducem, genuit; ita Deum & Virtutem te Præſulem & verum Eccleſiæ ſuæ Epiſcopum, id eſt, vigilantiſsimum Paſtorem in arcano illo diuinæ diſpenſationis concilio, iam ab omni æternitate prouidentiſsimè deſtinaſſe credamus.

CA-

Capvt IV.

OPTIMORVM EPISCOPORVM, ETIAM EORVM, QVI DE AVSTRIACÂ Prosapiâ olim hanc Diœcesin administrarunt, in SERENISSIMO nostro ACADEMIAE FVNDATORE impressa vestigia.

Etsi enim Episcopi denominatio vsu ipso, qui optimus dicendi magister habetur, hodie singularis cuiusdam Dignitatis Ecclesiasticæ propria sit; veteri tamen sensu, quod tam Gentiliũ, quam Sacrarum literarum monumentis proditum est, munus quodcumque in speculando obseruandoque positum hac voce significabatur. hinc enim Plutarchus, vt nihil Deos latere indicaret, illos χρηστῶν καὶ πονηρῶν ἔργων ἐπισκόπους, Sophocles inspectores humandis defunctis ab Ephoris constitutos, τοῦ νεκροῦ ἐπισκόπους dixit, eodemque nomine Magistratus Athenienſium in Atticam ad ius rusticano populo dicendum missos: apud Indos vero, qui Regi, quid quaque in regione ageretur, ex officio renunciarent, quos Persæ βασιλέως ὀφθαλμοὺς, quasi Regis oculos vocabant, aliis ἐπισκόπους compellatos accepimus. Nec dissimulandi apud Romanos rei pecuariæ & familiaris Episcopi, & quæ Cæsar ac Liuius, optimi latinitatis autores, nauigia speculatoria, ea M. Tullius phaselos ἐπισκοπίους appellauit. Quare Christianæ fidei propagatores sublime illud in Dei Ecclesia munus, quod suapte natura perennem quandam & irrequietam sollicitudinem adferret, Episcopatus nomine indigitarunt; vt ei, cui tot animarum gubernatio credita esset, vel nomen ipsum aurem velleret, (quod neque Pastorum Princeps, neque Doctor Gentium suis in epistolis siluerunt) studium Præsulis in- *1. Petr. 5. Hebr. 12.*

 dustriam-

duſtriamque in perpetua quadam Dominici gregis vigilia collocatam eſſe oportere; quem Paſtor quaſi ex edita ſpecula contemplatus, ſalutariter, &, vt Apoſtolus loquitur, in ſollicitudine, ad omnem honeſtatem erudiat. Quo Ægyptios collimaſſe crediderim, qui, ſicut ad deſignandam Principis poteſtatem, & intentam in ſubiectos curam, oculum ſceptro incumbentem; ita ad Sacerdotum vigilantiam exprimendam leones, vigilantiæ ſymbola, in ſacrarum ædium veſtibulis exſculpi curabant. Quod ſi, vt recte ſerius ille Chriſtiani Principis inſtitutor Oſorius aduertit, in diligentia omnium officiorum ac diſciplinarum vita & gloria conſiſtit; quam ſi remoueris, iacebunt vniuerſa, & quaſi tenebris conſopita deliteſcent; quid non curarum ab ea functione, cui ab inſpectione vigilantiaque nomen inditum eſt, exigi opinabimur? Eos itaque veros Eccleſiarum Epiſcopos agnoſcamus neceſſe eſt, qui ad Hierarchici culminis clauum à Deo euocati, illud agunt, vt commiſſos ſibi populos cura vigilantiaque paſtorali complectantur, eos cæleſtibus inſtitutis & optimis diſciplinis erudiunt, à fide & moribus deuios reuocant, nihilq; laboris intermittunt, quo Eccleſiam pace & religione florentem tueantur. Quales cum auorum memoria hæc Argentinenſis Cathredra quamplurimos Orbi Chriſtiano dederit; quos vel tenuiter commemorare longinqui foret operis, iterum mihi orationis compendio vtendum erit; & quando ternos meminimus ordine conſequentes huius Eccleſiæ Antiſtites Collegio huius Societatis fundando dotandoque certatim ad reip. bonum inuigilaſſe; ternos mihi è Diuorum numero, eoſdemque primos Præſules, totidem media ætate de Tua Domo, SERENISSIME PRINCEPS, producendos exiſtimaui; vt quam extrema mediis

Oſor. de inſtitut. Reg.

Iac. VVimpheling & Franciſc. Guil m. de Epiſc. Arg.

mediis ac primis appositè respōdeant, æstiment vniuersi: primaq; illa velut aurea sæcula hoc ferrugineo æuo sibi refloruisse Alsatæ Tui gratulentur. & viuos quidem ac superstites etiam in rectè factis inuidia premere ac liuor potest; at mortuos, & virtutis splendor irradiat, & laudandorum operum exempla non sine fructu ad memoriam posterorum repetuntur. Porrò amplissimam illam dignitatis Sedem auspicatus est pari virtutis & nominis sui merito AMANDVS, gente Aquitanus, stirpe nobili, Serano & Amantia genitus, quem DAGOBERTVS Austrasiorum & Alsatarum Rex, ob notam viri sanctimoniam cum insigni doctrina coniunctam, ad se Traiecto euocatum inter alios morum integritate conspicuos (quos plurimos propagandæ ac tuendæ Christianæ fidei in regno suo aluit) in primis magna dignatione complexus est, eiusque consiliis regni onus & religionis curas sustentabat. Siquidem reperio per obsoletas partim scriptorum penuria, partim temporum clade huius patriæ res, interuallum illud sæculorum, quod ab vsq; Constantino Magno ad Dagoberti ætatem defluxit, in pristinas idolomaniæ tenebras relapsum magna literarum luce caruisse; fuisseque tempus, cum turbata Ecclesiarum pace, perditoque veteri statu, vix ægrè licuit impressa per Religionis constituendæ TRIVMVIROS EVCHARIVM, VALERIVM, & MATERNVM, vestigia reperire. At sub Dagoberto inter alias Alsatia respirare, & pressum persecutionibus caput attollere cœpit. Ibi enim Amandus euersis idolorum statuis superstitionis memoriam omnem aboleuit. ibi Sigebertum Dagoberti Filium XL. dierum infantem purgatricibus baptismi lymphis expiauit, & miraculo datum est, pusionem finita formula solemni, cunctis tacentibus AMEN respondisse. ibi ex interuallo ab Aduaticis redux Argentinensi Mitræ Traiectensem adcumulauit. ibi Dagoberto volente, qui eum magis magisque

S. AMANDVS I. EPISC. ARGENT.

gisque colere,& tamquam Angelum cœlo missum venerari solebat, duorum Cœnobiorum Conditor fuit, alterius margine Rheni sinistro, quod Nouæ Villæ, alterius, quod ab Anglicano Rege, Offonis Villæ, postea vero à præterfluente amne Schuteræ appellationē deriuauit. Illius ergo ditioni Dagobertus Alsatiam inferiorem subiecit,& obiectam vltra Rhenum Mortnauiam, quantum ab Eckenbach fluuio, qui Basileensem, ad Lutram, qui Nemetum fines adluit, interiectum est; in latitudinem vero ab Herciniis iugis ad Vogesi summitatem, quæ hinc Constantiensem, inde Mediomatricum limites terminant, Amando & Successoribus parere sanciuit. Qui tandem, denuò ad suum in Belgicam Cœnobium reuersus, D. ARBOGASTO, sæculo depulsæ per natalem Christi seruitutis DCXLVI. administrandam reliquit. Quem virum doctrina pariter & vitæ sanctimonia spectatissimum Rex haud minus reuerenter, quam ipsum Amandum habuit. vti qui miraculorum crebra coruscatione, rerum omnium carni blandientium abdicatione, castimoniæ, sobrietatis, cælestis conuersationis, animi denique omnibus virtutum numeris exculti laudatissimo præconio celeberrimus antiquis Alsatiæ panchartis adnotatur. Neque hic Diocesin fidei tantum & pietatis Christianæ disciplinis; sed fundorum etiam ac vectigalium accessione insigniter nobilitauit. maximè vero, posteaquā inter multa & admirationis plena opera Sigebertum Dagoberti Regis F. in venatione delapsum equo (quod nōnulli apud Ebersheimium factum commemorant) atque exanimatum, vitæ ac parentibus redonauit; cui tanto merito & miraculo, vt qua posset, vicem rependeret Dagobertus, Isenburgum arcem suam,& oppidum RVBEAQVAS, hodieque Tui Serenissimi

S. ARBOGASTVS II. EPISC. ARGEN.

nissimi Nominis ad perennem memoriam Magnificentiæ Austriacæ, segetem, cum omni iurisdictione illi cumprimis, tum Præsulibus qui ei succederent, donauit; & regiorum onerum exemptione liberrimum ab ea immunitate Mandatum posteri appellarunt. Idem vero Schutteranum Cœnobium, mira Cœnobitarum innocentia captus, impetrata per Dagobertum villa Herlesheim, locupletauit, & alterius Surburgi constituendi Sigeberto autor fuit. Cumque illum præcellentis famæ simul & virtutum gloria in tanta apud Regem gratia posuisset; ea tamen animi moderatio submissioque fuit, vt regressus in memoriam supremæ diei, metæque mortalibus omnibus præscriptæ, ac simul propriæ vilitatis; loco, quo facinorosi capite luunt, corpus abdi voluerit. Quem tamen deinde, post XXVII annos, quibus Episcopali munere perfunctus est, sub annum Virginei sine labe partus DC. LXIIX. cœlo receptum, admirandis prodigiis Deus patriæ & Ecclesiæ fecit illustriorem. Porro Episcopatum deinceps adiit Florentius Britannia oriundus; quæ cum esset prisco æuo doctissimorum sanctissimorumque hominum officina, non vicinis modo regnis; sed Germaniæ Galliæque fulgentissimam tum doctrinarũ, tum pietatis facem prætulit. Hic ergo relicto natali solo, nullis vel pelagi intermeantis, vel terrarum interiacentium difficultatibus absterritus, in Alsatiam, quatuor sociis, Arbogasto, Fideli, Thietboldo, & Childolfo comitatus, deuenit; cumque omne studium ad assiduam cælestium ac diuinarum rerum meditationem contulisset, comitibus Argentoratum progressis, ipse solitudinis ac vitæ purioris studio, locum Eremi secreto idoneum haud procul hac vrbe dissitum, vbi Hasela fluuiolus Bruscam illabitur, multa tum silua vmbrosum delegit.

al. Mundatum, *q. Munus datum, vel q. immunitate donatum.*

S. FLORENTIVS III. EPIS. ARGENT.

hic sacco & cineri incumbere, pastum & potum purè nosse, non ventris, sed animæ caussa; ieiuniis preces addere, ingemiscere, sacrosanctis aris noctes noctes diesq; aduolui, fratribus omnibus legationes deprecationis suæ iniungere, solens illi ac quotidianũ fuit. Donec tandem inculpati mores & frequentia miraculorum hisce latebris extractũ in excelso Argentinensis Præsulatus fastigio posuerunt. nam & puellam Regiam dæmonio liberauit, & visum ei ac loquelam restituit. atque idcirco Regiam Kirchcimij tum temporis arcẽ ab Francorum Rege dotis largitione possidendam accepit. Sed & Scotis Argentinæ Xenodochium, & D. Thomæ inibi Templum, quod postea in Canonicorum Collegium conuersum, aliquammultos Diœcesi Antistites suppeditauit; prædiis & luculentis fundorum possessionibus assignatis constituit. Tandem sub annum DCLXXVI. XVII Decemb. meritorum plenus, cæloq; maturus in D. Thomæ tumulum accepit; donec per Rhcconem Antistitem diuino admonitu ad primam habitationis pristinæ sedẽ Hasela dictam transferretur, vbi ingenti conuenarum multitudine, & religionis ergô concursu celeberrimus, multa ægris hodieque beneficia diuinitus impertit. Explicui, vel potius delibaui Sacratissimum primorum huius Diœceseos Præsulum, quos virtus cœlo asseruit, Triumuiratum, restat nunc, vt ad alterum eorum, qui de Tuo, SERENISSIME PRINCEPS, Sanguine eandem exornarunt, conuertamur. Neque enim minus Tibi iucundum esse opinamur, eiusdem Tecum muneris & sanguinis Antistitum memoriam recolere, quam cum Generosissimos supra, Tui nominis Principes recenseremus; quando in vtrisque & quod admireris inuenies, & quod gaudeas Te esse imitatum. Primum ergo è Vindo- & Altenburgi Comitibus, qui postea in Habsbur-

giacam

giacam stirpem transierunt, OTTONEM, quem alij Etonem, siue Hettonē dixerunt, eo reuerentius accedo, quod à Carolo Magno Academiarum Fundatore ad Episcopatus Argentinensis clauum admotus sit. & vero ad capienda Ecclesiæ gubernacula præter claritudinem generis erant OTTONI alia omnia; vitæ morumque integritas, gloriæ ac moderationis publica fama, insignia doctrinarum ornamenta, non obscura eximiæ sanctitatis indicia, quique in repub. pace ac bello pari industria fideque ita versatus est, vt, quod de Constantino quidam dixit, illo vir nemo melior videretur. Sed in his omnibus principatū sibi Religio vindicabat, vti cuius amore ante præsulatum in Cœnobio Augiensi voto se diuinis obsequiis addixerat; itaque profecit, vt S. Pirminio, qui sub idem tempus vitæ sanctitate Alsatiam impleuerat, in eiusdem moderatione successerit; quem deinde Theobaldus Alsatiæ Dux, dum Christi Sacerdotes ludibrio habet, & iniuriam facere id demum censet imperio dignum, inculpatis moribus Præsulem in Vraniæ fauces velut ergastulum relegauit; sed Carolus Martellus pristinæ sedi Ottonem restituere sui muneris duxit. Nec multo post Ettenheim sui nominis Monasterium cum æde Deiparæ Virgini Sacra, Religiosis Christi Ascetis, quibus deinde S. Hildulphus ex Treuirorum Antistite præfuit, conditum, egregiis fundis annuisque redditibus dotauit; extititque inibi Doctorum hominum plantarium, vnde variorum Cœnobitarū domicilia per Rhętiam, Bauariam, & superioris Alsatiæ Murbacense Cœnobium disciplinarum fontes deriuarūt. tandem mortalitatis iter emensus, tumulum non sine opinione sanctitatis apud posteros ipso illo, quod constituerat Asceterio meruit. Alterum deinde post annorum interualla eiusdem stirpis

OTTO siue ETTO EPISC. ARGENT.

hæredem Argentoratum magno ſuo bono vidit Wernervm id nominis I. Gūtramo diuite Auo, Patre Vecelino; qui Habsburgicæ Arcis haud procul Altenburgo diſſitæ, & Cænobij Muri in Argouia conditor fuit.

Vvernervs I. Episc. Argent.

Is ad Eccleſiaſtici Præſulatus faſtigium euectus in primis curæ habuit, Vrbem & Eccleſiam Argentinenſem (cuius ab incendiis barbarorum, limiti Argentinenſi atrocius inter ciuilia mala inſultantium, facies lōgè erat triſtiſſima) erigere, ac recreare. & iuuabat familiæ ſplendor, autoritas, abſolutæ virtutis ornatus, amicitia Principum, bello quod inter Henricum II. Auguſtum, & Hermannum Alſatiæ Ducem exarſerat feliciter compoſito, apud partes comparata. Quare annuente Henrico & inhortante, ampliſſimam, vti hodie cernitur, Ædem Deiparæ Dominæ Noſtræ Argentorati ſub annum M. XV. ponere orditur, in cuius fundamentis ab centenis, vel vt alij, ducentenis operarum capitibus decem anni conſumpti; vt vel hinc pateat, non minus opum & potentiæ, quam virtutum & ſanctitatis horum temporum Epiſcopis fuiſſe. Henrico deinde in Diuorum domicilium, quod ſanctitas vitæ merebatur, trāſlato, eius in Imperio ſucceſſori Conrado Salico Wernerus cum paucis gratus acceptusque fuit; à quo Cōſtantinopolim vt honorifica legatione perfungeretur, ad Imper. miſſus, cum iam omnia occupaſſet vera atque ſolida bona, quę ſunt in virtutis ac pietatis Arce poſita, & ſat multos vitæ annos ad patriæ Eccleſiæque fructum impleſſet, legationis ſibi commiſſæ officio immoriens, felici exitu ab hominibus demigrauit. Cui inter cætera Principe Viro digna elogia, hoc tribuitur, quod doctos atq; eruditos arcte complexus ſit, quodq; glorioſum & in diuinis ac ſæcularibus officiis ſtudioſum ſeſe Præſulem exhibuerit. Quem altero ſęculo

culo pòst, BERTHOLDVS I. ex Ducibus Teccensibus, qui ab Zeringiæ Ducũ prosapia originẽ repetunt, consecutus, dum in Argentinensiũ administratione eam laudis viam insistit, quã maiores illi tritam reliquerant, egregiis stirpem suam ornamẽtis, ob summam dignitatis virtutisque existimationem decorauit. Etenim perenni sanctitatis Apostolicæ & inuictę caritatis memoria venerandus, purissimas diuinæ Maiestati hostias Sacerdos solemni ritu faciebat, sermo ei cũ Deo multus & familiaris, vt, (quod de Carolo V. postea domestici perhibebant) diutius cum Deo, quam cum hominibus loqueretur. ab hisce negotiis & curis sacratioribus quidquid domi supererat ocij, id corporibus pauperum subleuandis dabat, liberalitatem omnibus Ordinibus magna benignitate impendebat: foris vero grauissimo, quod bis gessit cum Henrico Friderici II. Filio, & Ferretarum Comite, bello implicitus, Victor in vrbem, & opimis spoliis onustus reuertit. Henrico tandem postremo inferioris Alsatiæ Landgrauio , ex humanis sine hærede abeunte, Landgrauiatũ in suam & Successorum ditionem reuocauit. Nec minus difficile ac gloriosum cum vitijs & rerum vanitate, quam cum hostibus certamen iniit. Schvvartzacensis Cœnobij, quod ferale incendium absumpserat, redintegrãdi autor fuit; D. Francisci Assisinatis Alumnos sanctitatis opinione apud omnes florentissimos Argentinam induxit. Tandem post multa egregii Principis documenta posteris relicta, salutare Alsatiorum sidus in terris occidit, vt clarius cælo irradiaret. Sic OTTONEM Religionis ac pietatis studio, disciplinarum & Sapientię cultu WERNERVM, vtroque autem gloriosiorem BERTHOLDVM victoriis insuper & fundis Alsatiam reperio cumulasse. Quæ in exili narratione indica-

BERTHOLDVS I. EPISC. ARGEN.

re mihi promptius fuit, quam exponere; siquidem ita lubricus istius ætatis cursus fuit, vt vix nominum in compluribus, nedum temporum vestigiis insistamus; nisi quod totam Episcoporum seriem pronuper insigni accuratione Franciscus Guilimannus è situ & tenebris vindicatam Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, velut eorundem laudandorum operum ex asse hæredi consecrauit. Ex quibus credo iam liquere, publicam hanc præsentis diei lætitiam non vnius Alsatiæ finibus terminari; sed ad ipsam etiam beatissimorum spirituum arcem merito sese exporrigere; vti è quâ non modò LEOPOLDI Illustres, Fortes, Pii, Probi, Virtuosi, Cleri & Patriæ Parentes, domi militiæque decora, rebus præclarè & feliciter gestis GLORIOSI, sanguinis sui in terris Nepotem, Deo cum primis Cælitibusque religionem, tutelam patriæ, Sacerdotibus honorem, amorem subditis, Collegijs, Cænobijs, pauperibusque misericordiam impendere; sed etiam Sacratissimi ANTISTITES, eiusdem muneris post tot annorum spacia consortem, fundare Ecclesias, dedicandas curare basilicas, perfidiā prauitatemque hæreticam & odisse medullitus, & constanter exstirpare, viros integritate morum præstantes complecti, tantaque cura & solicitudine constitutis literarum & pietatis domiciliis omnes denique implere numeros Christiani & peruigilis Pastoris recognoscunt. Hic ego, si, quam fructuosè Diœcesin tutatus sis, quam validè arcibus, propugnaculis, ædificiis, educendis DAGSTEINII, BENFELDII, RVBEAQVIS, TABERNIS, quæ celebritatem olim magnam tum ob naturæ locique genium, tum ob Fundatorum gloriam obtinuerunt, confirmaueris; ad quam fortunam amplitudinemque commissam Tibi prouinciam adducere labores, commemorem: & sanè inter multa magnaq;, quæ Te restauratorem agnoscunt

ſcunt opera, omnium iudicio eximia illa præſtanti mole, amplitudine,ac ſoliditate ARX RVBEAQVENSIS (quæ nomen ſemper magnum inter Argentinenſis Eccleſię poſſeſſiones habuit) ad inſigne Sereniſſimi Tui Nominis apud ſeram poſteritatem monimentum, patriæque firmamen abs Te à fundamentis educta, cui ampliandæ muniendæque etiamnum inſiſtis,æternùm perpetuabit: ſi decreta, labefactatis vel iniuria temporum, vel licentiâ morum Cleri partibus ſanciendis,propoſita, ſi quam opportunis ſubſidijs militem ſuperiore anno non ſemel patriæ incumbentem, prudenter & ſine vllius cæde auerteris, ſi quam crebra iterataque inſpectione Cęnobitas ad vitę ſanctimoniam puritatemque,Curiones ad commiſſi ſibi gregis curam vigilantiamq; inhorteris, ſi fundorum ad alienos dominos quauis pactione delapſorum in auita iura poſtliminio recuperationem, &, ne foras tantum egrediamur, ſi hanc ipſam Ciuitatem, cuius cum Academiâ Natalem hodie coli Tuâ pietate meritò dixerim,mœnibus atque ędificiis reſurgentem; ſi zelum illum ardoremque, quo non opes duntaxat & fortunas, ſed ipſum etiam Auſtriacum ſanguinem exponere paratus es, quo ſuus Deo cultus,patrię pax, Eccleſiis nitor, fidei ſplendor, & decus reſtituatur; Hęc inquam, ſi vel compendio recenſeam,verendum eſt, ne dum parciusà me vel languidius, quam res poſtulat, exponantur,nec meritam apud poſteros obtineant beneficentię famam,nec optatum ab his,quibus tam benignè feciſti,gratię fructum reportem. Perge interim, perge, SERENISSIME PRINCEPS, Dei honori & glorię, vt facis,ſeruire, perge de ALSATIA TVA, deque Rep. Chriſtiana benè mereri, pręclarè factis familię Tuę ſplendorem,patriæ ornamentum, fidei Catholicæ tutelam,Reip.tranquillitatem,ſalutem omnibus impertiri; id quod & illi maiores anteceſſoreſque

Tui

Tui in cælo, & omnes boni in terris perpetuis votis pro Te Deum Opt. Max. comprecantur. vt ſicut nihil Maioribus Tuis dignum facere intermittis, ita nihil pietati Optimorum Præſulū cedas, nec minus gloriæ, quam ab iis acceperis, Te reddidiſſe merito credi poſſit; niſi forte minus de Eccleſia bene mereri cenſendus ſit, qui amiſſas Prouincias reſtituit, quam qui adiungit nouas, aut minus Fidei interſit, hæreſes, quæ animis ſempiternum pariunt exitium, exſtingui, quam hoſtibus, qui corpora tantum infeſtare poſſunt, reſiſti, aut Chriſtianis minus optabile ſit, è Satanę faucibus eripi, quam ab aduerſariorū qui cum in oculos incurrant, ſolum id quod in homine caducum eſt, corpus poſſunt peſſumdare, iniuriis vindicari. Cum videamus optimos quosque Principes, florentiſſimis reipub. & Chriſtianæ fidei temporibus, Patriæ Parentes, Eccleſiarum & Religioſorum Cœtuum Fundatores audire maluiſſe, quam ſi cupidine imperij proferendi vicinos laceſſiuiſſent, nedum ſi malis conſultis, ſæuitiaque deuij Eccleſiarum opes & Cœnobiorum, imò Chriſti patrimonia immodicis, more Harpyiarum, exactionibus exhauſiſſent.

CAPVT V.

DE CONSILIO SERENISSIMI LEOPOLDI IN CONDENDA Molshemenſi ACADEMIA.

ETENIM cum in Societate humanâ non aliā Principum aut Regum deligendorum originem inueueniamus, quam, quæ publici boni & iuſtitiæ ſeruandæ, tum iuris æquabilis in omnes conſtituendi gratia reperta

reperta est; vt qui propter inopiam vel imbecillitatem à potentioribus opprimerentur, ad vnum aliquem confugerent, qui cæteris virtute & æquitate pręcellens & iniurias prohiberet, & contra vim insidiasque maleuolorum subditos tueretur; eos profectò Principes præclarè suo munere fungi necesse est, qui Orthodoxam religionem & cætera reipub. seu adiumenta siue ornamenta, fauore, studio, legibus, autoritate, vi, metuque ita consectantur, vt certis probatissimi exempli documentis se non Filios & nutritios Ecclesiæ duntaxat; sed Tutores etiam, Aduocatos, & vindices in omni vita exhibeant. Atq; hinc Deum Opt. Max. eam Christianis Principibus mentem iniecisse arbitror, vt cum Religionis quam maximè, tum æqualitatis in omnes officiis præclarè cultis, omnia sibi ad votum accidere cernerent, addi populos, & noua imperia, subiectosque pace & incolumitate florere; non dubitarent Religioni, tamquam parenti, Ecclesiis, Cœnobiis, eorumque Sacerdotibus magnas opum & vectigalium accessiones impendendo, fructum hunc & quasi fœtum religionis refundere. Non premam hoc argumentum, cuius laude omnem Sacram historiam video redundare, vt clarissimè ex vetustatis memoria eluceat, hanc apud Reges, Antistites, Principes, famæ & opulētiæ dignationem, quæ munificorum operum ædificiis, hospitalitati, lytro captiuorum soluendo, struendis Basilicis, Cœnobiis, Collegiis, Seminariisq; fundandis, dotandisque Nosocomiis, assiduè impensa fuit, non sine publica beneficę potestatis & augustę religionis commendatione apud omnium ordinum homines eualuisse. Enimuero semper id bonis & Christianis Principibus in animo fuisse mihi persuadeo, cęteros quidem Optimates, quos aut meritis conspicuos, aut experta obsequij sibi pręstiti fide probatos compererunt, sellis curulibus, prouinciarum Impe-

riis, amplis honoribus, premiisque cumulare: at vero homines Deo dicatos, qui pro disciplina Religionis colende, censura morum, salutis ac diuinarum rerum procuratione, immensa bona afferre laborarent, quæ, vt ille de Eloquentia dixit, cœlitus impertita munera non in codicillis dantur, nec cum Principis gratia veniunt, cum tamen iis & Regum vita, & regnorum incolumitas nitatur, iustissimis rationibus, eos extollere, beneuolentia prosequi, ornare beneficiis, fundorũ etiam & annonarum donatione cumulare. Quod si in Romana republ. apud Cesares fastu & arrogantia elatissimos tantum potuerunt homines nec moribus egregiis, habitu etiam corporis contempti, sed sola vel eloquentiæ vel assentationis commendatione grati acceptique, vt quos antea nascentes paupertas & notabilis rerum angustia circumsteterat, mox potentissimi suę Ciuitatis euaderent, & donec libuit, Principes fori, mox Principes in Cæsaris amicitia omnia agerẽt, ferrentque; quodq; de Marcello & Crispo accepimus, ab ipso etiam Cæsare cum quadam reuerentia diligerentur: quid non iis æquissimè fieri putamus, qui cum augustissimi muneris cõmendatione omnes religionis partes sanctissimè pro suo instituto explere nituntur, pro Principis salute & incolumitate Sacra faciunt, precesq; assiduè fundunt, supplicationes adhibent, noxas expiant, cibo potuque cælesti languentes sanant, fidem, religionem, sapientiam, fulcra & omnium regnorum stabilimenta tuentur atq; defendunt, si eorum labores vt perpetui sint, fundis, patrimoniis, hereditatibus accumulentur; vt exinde fructus ex hac virtutum officina in vniuersam deinde remp. Christianam cum fœnore redundet? Ægrè id quidem assentiantur, qui aut nesciunt, aut intelligere nolunt, humana diuinis temperari; maiorum tamen exemplis atq; autoritate defendi constat: cũ videamus fortunatissimos quosque Imperatorum ac Dynastarum, dum in Sancto-

rum

Sueton. in Vespasiano.

Greg. Tur hist. Franc. lib. 2. c. 27. & alibi.

rum Basilicas & mansiones Deo consecratas amplissima donaria intulerunt, conciliatis sibi hac munificentia Dei Diuorumq; patrociniis, præclaras de hostibus victorias, & Imperiorum accessiones impetrasse. Quam laudem in Tuam, SERENISSIME PRINCEPS, Augustam Domum Austriacam vel maximè conuenire, tum ea quæ supra commemorandis Tui muneris & nominis Principibus ostendi, tum omnis generis & fortunæ homines loquuntur; & si hæc obliterata essent; hodiernũ Tuum, qua Ecclesiam, qua Patriam, ditionemque Tuam Basilica Deo à fundamentis educta, constituta Sapientiæ Academia, Collegio Societatis ampliato exornasti; dignissimũ Austrio Principe beneficium, illud nobis in memoriam reuocaret, quod à Principe exigit Cassiodorus, munificentiam Austriacam quotidie tanquam Solem renasci; & sicut sidera splendorem habent, sed vt mortalium vsibus deseruiant; ita Te illam Tibi cœlitus Dignitatem ideo communicatam iudicasse, vt Deum Tibi atque Ecclesiam hoc ipso munere arctius deuincires. Fecisti ergo rem Christiano Principe dignam; sed non minus grauissimo Pastoralis officij debito egregiè respondisti. Nam quod Gregorius Nazianzenus, Episcopo dixit vtendum aliquoties pedo, vt plurimum autem fistula; id Elias Cretensis exponit; sæpe doctrina, raro obiurgationib. quoad eius fieri potest, vtẽdum esse: quod & Gregorius, cui excellens cum sanctitate doctrina Magni cognomentum dedit, confirmat, vbi aureo illo de officio Pastorali volumine, animarũ Pastori pro habituum deprauatorum varietate diuersam item curationem admouendam docuit, cum alios reprehensione, nonnullos leni in doctrina instructione iuuari experimento constet. Et vero quisquis apud semetipsum animo versat, hono-

Greg. Nazianz. in Apologet.

Gregor. Magn. in Pastor admonit. 20.

rificentiſsimam ſe Dignitatem & animarum procurandarum functionem, pro qua cœlo Christus deſcendit, ſuſcepiſſe; ideoque Paſtorem eſſe, vt oues verbo, exemplis, ſanguine etiam proprio, ſi neceſſum foret, profuſo paſcat, ſalem terræ, vt aliorũ mores ſanctiſsimis condiat inſtitutis, lucernam candelabro ſuperpoſitam, vt ſubditis doctrinæ ac virtutum radiis præluceat, Ducem, vt populo ad omnem honeſtatem rectum iter ſternat, Medicum, vt in tempore nôrit oleum vino attemperare, Cuſtodem denique, vt gregi ab Principe Paſtorum ſibi commiſſo vigilanter intendat; hæc inquam qui ſeriò expendat, poteſtne aut perfunctoriè rem ſuam agere, aut ocioſus deſidere, quando ſpecioſiſsimis illis nominibus, quot pœne ſunt hominum neceſsitates, tot ſibi ad opitulandum officia incumbere animaduertit? Hoc videlicet expendiſſe identidem crediderim Annonem Beatiſsimum Agrippinenſium Præſulem, quem pedum Epiſcopale ferunt vſurpaſſe verſibus inſcriptum, quorum primus erat; Tityre coge pecus; cœcum ne ducito cœcus; hoc Popponem ſupra laudatum Tuæ Familiæ ingens decus, qui ſuo inſculpi curârat; Poppo Treuericum Paſtor Gregem Tuere; hoc ipſum animo Tuo, SERENISSIME PRINCEPS, infixum facile poſſumus æſtimare, qui nec muneri Tuo te ante ſatisfacturum es ratus, nec amori, quo Alſatas complecteris, modum ponere voluiſti, quam in Diœceſi Tua Argentinenſi abſolutum virtutum & doctrinarum domicilium collocares. & cùm noua ferme indies monſtra opinionum naſci, nouos Christianæ fidei hoſtes è vicinis ſerperaſtris emergere conſpiceres, noua quoque Religio-

ligionis auitæ auxilia tibi aduocanda censuisti, quæ ad hanc Dominicam vineam ab pestiferis ferarum incursibus vindicandam, atque ab sentibus hæreseon omnino repurgandam collaborarent. Sic enim S. D. N. publico suo Tuæ huius Archiducalis Vniuersitatis ab se confirmatæ Diplomate loquitur; Te, vt Religionem Catholicam, quæ in quibusdam locis Tibi subiectis, & vicinis Episcopatibus viget, conseruares, & vbi collapsa est, hac potissimum ratione restitueres, ac Tuos subditos & vicinos quamplurimos ad literarum studia & nauandam literis operam excitares; hanc Vniuersitatem excitasse. Itaque sicut Alsatiam Superiorem Friburgensi Academiâ Habsburgi-Austriacæ Familiæ Parentes per Albertũ mirificè illustrarunt; ita Dignitatis Tuæ esse peruidisti, hanc inferiorem Alsatiæ portionem, cui Te Deus Antistitem dedit, simili optimarum disciplinarum arce munire, ne minus honoris amorisque inferæ Alsatiæ ora LEOPOLDO deberet, quam supera ALBERTO in perpetuam memoris animi testificationem, etiam cum desert, adhuc tamen se debere profitetur. nimirum quod olim ad Inuictissimum Fel. record. RVDOLPHVM II. amplissimis notis scripto expressisti; æquissimum esse, vt sicut pietas & religio Catholica sub Austriaco Diademate & purpura quiescit & floret; ita pariter literæ in eandem Clientelam admittantur; cum sine his vix quidquam solidæ pietatis defendi ac propugnari possit; illud iam facto ipso sibi abs Te præstari, Alsatæ Tui mirificè lætantur. Huic acce-

debat singularis ille Austriaci pectoris Tui erga Societatem affectus in omnem nobis memoriam commendabilis, qui Tibi facilè suggerebat, eam ab Austriacâ Domo tot à primo suo natali beneficiis cumulatam, tot auctam domiciliis, tot per omnes, tam in Europâ, quam vtrâque Indiâ terrarum plagas sedibus ampliatam, toties contra sacrilegas hæreticorum manus, & factiones constantissimè defensam, vt idcirco merito Canisius noster (qui vti inter primos nostræ Societatis homines eiusdem Domus fauorem expertus est, ita in eâ colendâ nemini omnium concedebat) illam nobis præ aliis, omnibus obsequiis religiosis demerendam commendarit; vti per quam Summo Deo visum, exiguam Societatem nostram in Austriam & Bohemiam, addo ego, in Germaniam, Belgicam, Lusitaniam, Hispaniam, Indias, clementer inducere, & in ea humaniter sustentare.

Lib. 1. vita Canis. c. 7.

Vidisti etiam, SERENISSIME PRINCEPS, sicut Imperatori solerter prouidendum rei militaris periti prodiderunt, vt castra loco salubri & ad hostium petitiones opportuno collocet; ita Ciuitatis huiusce genium Academicis disciplinis accommodatissimum fuisse; vt quemadmodum Musas Poëtæ in Parnasso & Helicone, amænissimis tutissimisque montibus habitare finxerunt ita eam Diœceseos oram & olim Illustrissimus Ioannes optimus Collegii Lares ac Fundator Societatis, & Tu iam, SERENISSIME PRINCEPS, Academiæ domicilio dignatus es; quæ (vti Polyhistor quondam de Hispania dixit) optimis terris comparanda, nulli frugum copia cedat, in quam Ops & magna Deorum mater Tellus propter perpetuas in ea herbas ac segetes, quibus campi vndique vestiuntur, omnium bonorum copiæ cornu effudisse, imo in qua, vt ille de Campania dixit, perenne

Veget. de re milit.

Ioann. Boterus de Orig. Vrbiū lib. 2.

ne quoddam Liberi & Cereris certamen, ob parem vini frugumque redundantiam esse videatur. Quid enim vel appetentissimus eorum, quæ non dico ad necessitatem, sed ad amænitatem etiam & delicias faciunt, desideret? hic enim alimentorum copia natiui soli vbertate suppetit, & ab omni strepitu vulgi atque commerciorum turbis immunitas est, vt quam honestissimè pacatissimèque studia sua iuuentus possit pertractare. quid circumposita Vrbi noualia, totq; Viridaria, quid amænitatẽ rusticationum, arces montibus & collibus impositas, oppida muris cincta, amnes limpidissimos, pontibus lapide seu trabe stratis permeabiles, siluarum opacitatem, quæ desiderati ssimam sub æstiuos calores studiis ac meditationibus temperiem præbere possint; quid fontes morbis etiam dispellendis efficaces, quid sedes nemoribus frequentes, prata suburbana vel pomæriis, vel felicium arborum plantariis iucundè consita, vel gratissimo pabulo amænè virentia, vel arua segetibus læta, & pecorum vsui gramine fænoque peropportuna recenseam? hæc videlicet illa est

Conrad. Celtis lib. de situ & morib. Germ.

Terra hominum pecudumq; ferax, quæq; vbere gleba
Spiciferam Cererem multo cum fænore reddit,
Pinguia floriferis extendens pascua pratis;
Et fluuios varios, sapido qui pisce redundant.
Collibus apricis vallata, & montibus altis,
Plurima vitiferi qui fundunt munera Bacchi.

At ne corporis duntaxat cupedias & fugacem sensuum voluptatem consectari videamur; sunt etiam sua hic animi & maximè Christianâ religione imbuti non vulgaria oblectamenta. Simul namque Molshemio excesseris, primo ad Orientalem plagam flexu prospectuque, obuium habes non dimidio ab vrbe lapide, Altorffianum

Altorff. num Cœnobium honore & patrocinio S. Cyriaci, qui Christi Ecclesiam sanguine fuso, purpurauit, tum vero adgregatis eodem è Sacra & Nobili D. Benedicti familiâ religiosis Ascetis celebratissimum. Ad Occasum vero, secundo ab Vrbe lapide D. Florentius tertius

Hasela. Argentoratensium Præsul in Haselacensi valle, peruęteri Canonicorum Collegio vallatus, effulget; & non modò Sacris suis exuuiis, sed etiam quotidianis prope beneficiis erga nephriticos, calculosos, encerotelis, aliisque deploratissimis corporum Symptomatis in mortem affectos Alsatas suos, exterosque votorum reos, identidem ad se inuitat. nec multis ab Vrbe passibus ad Septemtrionem amænissimo prato in conspectum se dabit rudi quidem opere, sed quod ipsa vetustate, tum vero maximè D. Materni memoria, qui nascentis Alsatarum Ecclesiæ primordiis Apostolicam operam primus nauauit, quiq; D. PETRO Sacrum ibidem templũ posuit, solemne febrientibus Asylum, à quo villa ipsa, religionis

Dompeter. ergô, Dompeter, quasi DOMVS PETRI dicta, nomenclationem accepit. estque in colle ad eandem cœli plagam, haud minus gratâ statione Altbrunnianum

Altbrun. DEIPARAE VIRGINIS Sacellum, quo Parthenici Cœtus supplicabundo agmine, recepto iam more annuatim procedere solent; quam in rem augendæ pietati, lapideis cippis varia Christi patientis argumenta repræsentantibus, via, quæ Molshemio interiacet, per interualla dispositis, egregium accessit incitamentum. At

Altitona Mons S. Otilia. vbi ad Meridiem deflexeris, ecce tibi Altitonam, siue Hochenburgum D. Otiliæ Sacrũ, & vel ex ipsa Vrbe conspicuum, quod vt situ, ita olim dignitate eminentis-

nentiſſimum, Regumque ac Impp. priuilegiis, & ampliſſimarum poſſeſſionum donationibus, tum quod caput eſt, Virginum Deo dicatarum Sanctimonia, & aduenarum conuenarumq; multitudine religiosè illud frequentantium, cętera quidem omnia longe poſt ſe relinquebat. Suntque in arduo per vmbroſa ſiluarum, aſcenſu, erectis etiam hic per interualla lapideis columnis, ſanguineos Chriſti ſudores exhibentibus, ſuæ quoque pietati non iniucundæ ſtationes. quo ante quam pertingas, licebit inter herbeſcentes agros Biſſchoffshemii VirginemMatrem *Biſſchoffsheimium.* votiuis indigenarum ſupplicationibus opportunam conſalutare; nec multo deinde poſt, Templum D. LEONARDI titulo & tutela ſignatum adire; cuius olim & religio- *S. LEONARDVS* nem & vero opem ingens numerus anathematum ad Ædem Sacram appenſorum præſtabat, quæ nupera Nouatorum rabies more ſuo nefarie interuertit. Porro vt domum repetamus; quem non ipſa Vrbis tum profanarum, tum maxime nouis Sacrarum Ædium piis ſubſtructionibus magis indies exſurgentis memoria conſpectusque alliciat, quam vitiferis ſuccinctæ collibus, tam præclaræ ad conſpectum, tam aptę ad elegantiam? quamq; Bruſca fluuius ex aſperis ſaxetis ad vicum Salmenſem eluctatus, indeq; aduenis aquis locupletior, dum Alſatenſem agrum *MOLSHEMIVM* rapido curſu illabitur, Vbi Motzingam oppidum perrauit, duplici flexu diuiduus altero cornu proximè adit; altero patentem ac feracem planiciem in conſpectu Vrbis intermeat; donec Dagſteinium progreſſus, eiusq; muros adlambens, tandem impigro meatu ſalutatis aliquot oppidulis, ad Illum pergit, trahitque ſecum amiſſa iam nominis fama, Argentinam, nec procul inde in Rhenum celeberrimum Europæ amnem ſe exonerat. Ipſum vero Molshemenſe oppidum Deiparæ Virginis

Tutelæ dicatum, donatumque fuisse, vt vetus traditio meminit, quanti merito est æstimandum? eamque donationem tam gratam illi ferunt accidisse, vt alias grauissimis periculosissimisque temporibus, circuitis visibili specie mœnibus, filo quasi limitem, quē hosti nefas foret irrumpere, manu circumduxisse perhibeatur. Itaque ad Ortum Noua illi Ædes, Tuis, SERENISSIME PRINCEPS, auspiciis impendiisque Societati à fundamentis, dignissimum AVSTRIACÆ PIETATIS monimentum, ad ipsa Vrbis mænia ceu firmissimum propugnaculum, posita. ad Septemtrionem vero altera Cartusianorum, mænibus item vicina Satio, quos Autore S. BRVNONE Agrippinensi, cibi tenuitas, & arida vita, compressio carnis, peruigiliorum, & id genus piæ mentis exercitationes, ad hodiernum diem à corruptela, & vitiis intaminatos florentesque transmisere. nec procul inde Parœcia quæ D. GEORGIVM Cappadocum fortissimum Martyrem patriæ & Oppidi Tutelarem agnoscit; cui Cathedralis Canonicorum Chorus insigni opere adstructus eximium adfert cum dignitate ornamentum; eorum inquam, quos Tute quidem huius Tui clarissimi operis, approbatione sua fautores; patria vero Patronos & adiutores fuisse libenter, & vero etiam obseruanter prædicabit.



CA-

CAPVT VI.

ADMODVM REVERENDORVM ET ILLVSTRIVM ECCLESIAE CAthedralis Argentoratensis CANONICORVM laudabilis in ACADEMIAM Molshemianam ab SERENISSIMO fundatam, & Societatis IESV curæ traditam, consensus.

ERGO sicut supremum illud cœlum inferiores Orbes ita secum ducit, vt tamen proprium eorũ motum non abrumpat, aut sistat; sic in hoc reipub. cursu Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, faciundum putasti, vt Illustrium, Amplissimi Collegij Procerum voluntates ita Tibi deuincires, vt dum illi in huiusce Academiæ constitutione lubentes volentes assentiuntur, & in tanti erga patriam beneficij communionẽ venirent; & se Hierarchici illius, qui est in Orthodoxa Christi Ecclesia, consensus quam obseruantissimos demonstrarent. Scitum enim est illud, haud minus ordinem ad rationem boni, quam modum & speciem pertinere. neque quisquam eorum, qui differentem cælestium atq; inferiorum harmoniam, tum singularũ inter se partium nitorem ac pulcritudinem aduertit, diffiteri poterit, quin excellens & diuinum quoddam bonum ex concinna rerum multitudine, & apta parium dispariumque distributione oriatur. atque ex hoc capite Ecclesiasticam è diuersis rite constitutis ordinibus hierarchiam à Christo institutam, ab Apostolis vero egregie expressam, vindicamus, cum vniuersus Clericorum cœtus in Episcopos, Presbyteros, & eos qui catechizant tribuitur; quorum omnium omnis in fideli populo purgando, illustrando, perficiendoque labor desudaret. Quam maiorum disciplinam ita

Clemens Rom. lib. 8. Constit. Apost. cap. 13.

Orthodoxa fides ab ipsis cunabulis condocefacta est, vt ei Sacrosancta Synodus Tridentina anathema denunciet, quisquis eam, quæ ex Episcopis, Presbyteris, cæterisque Ecclesię Ministris conflatur, Hierarchicam rempub. in Ecclesia Catholica diuina ordinatione institutam pernegarit. Sapienter itaque Anacletus Pontifex, vbi has ipsas Ordinum functiones Clementis decessoris sui verbis illustrauit, Ecclesię statum magnæ naui similem dixit, quæ varios vectores è diuersis regionibus per vndosum pelagus deueheret; Cuius quidem vt Gubernatorem Christum asserebat, ita proretę officio fungi Episcopum, Presbyteros nautarum, ticharchorum per foros nauis ad subita discurrentiũ Diaconos, Catechistas idem agere, quod qui naulum exigunt, epibatas deniq; siue vectores reliquam esse vulgi multitudinem. Ex quo procliue est intelligere, Clericorum institutum sicut ab Apostolis & successoribus vniuersè traditum est, vt velut in sortem hæreditatemque Deo Domino sepositi vitam ducerent humana consuetudine puriorem; ita fuisse, quod Augustinus & Prosper disertè monuerunt, legibus & omni disciplinæ genere deuinctum, vt quemadmodum à capite membrorum valetudo & concinnitas, sic eorumdem salus & amplitudo ab pulcerrima illa cum Antistite suo consensione dependerēt. Cæterum nec illud hic diffitebor, perfectius quiddam & augustius Canonicum, quam Clericum profiteri; vt videlicet ampliatis iam Ecclesiarum possessionibus in partem quandam laboris ad Antistitis arbitrium, in regendo dirigendoq; sui Ordinis cœtu veniret. in quo vitæ instituto annonaria res & fabrica curationis esset Præpositi, morum autem disciplinæ Decanus inuigilaret, sub quo Camerarius, Cantor, Cellarius, Scholarcha, Thesaurarius, & siquæ alia cum functionibus nomina in Cathedralibus Ecclesiis vsurpantur, militabant. Et vero, quod hanc Argentoratensem Cathedralem, vel maximè

Cōc. Trid. Sessio. 23. can. 6. & 7.

To. 1. epist. Pont. ep. 1. ad Episc.

Aug. lib. de morib. Eccles. cap. 30. Prosp. Sermon. de cōmuni vita Cleric. c. 3. & 9.

ximè cōmendet, est, non solum quod Antistitis sui apice, & Landgrauiatus Alsatici honore nulli aliarum cedat; sed etiam, quod DEIPARÆ VIRGINIS patrocinio felix, aliisque insignium dignitatum gradibus multis etiam antecellere conuinci possit. Hęc enim ab primis Conditorum exordiis Stemmata retro auorum memoria Illustria & Generosa Ducum, Comitum, Baronum numerauit, eoque fuit fastigio, tum imaginum tum virtutum radiis sublimis, vt vicinæ quoque Diœceses ac Metropoles splendorem, & non rarô Pontifices hinc adoptarint. Quid memorem, quam numerosa propagine è Bauariæ, Lotharingiæ, Palatinorum, Lutzemburgẽsium, Limburgensium, Badensiumque Ducum & Marchionum illustri satu, è Comitum Spanheimensium, Hannouiensium, Gemini pontis, Veldentiæ, Saræpontis, Siluestrium, Rhenensium vetusta prosapia, tamquam sidera olim exorta sint? Quin ex Eifflia, scatebra quadam priscę nobilitatis Wirneburgiorum, Salmensium, Riefferscheidtiorum, Manderscheidtiorum, & Blanckenheimiorum stirpe, quam præclara columina huius reipub. bono prodierunt? quot ex sparsis vltrò citroq; Nobilitatis ramis, Holsteiniorum, Hohenzolleranorum, Furstenbergicorũ, Sultz, Chrichingiorum, Hohenfelsiorum, aliorumque, quos enumerare sit infinitum, Cathedrale hoc Collegium, Generosæ prosapiæ, tum maximè auitæ religionis tuendæ studio & splẽdore illustrarunt, hodieque illustrant? vt sicut merito hæc Argentinensis Ecclesia ab vetustissima hominùm memoria NOBILISSIMÆ titulum reportauit; ita iure merito inter cæteras ab Sede Apostolica communicatas sibi prærogatiuas cũ paucissimis aliis, vel Metropolitanis, vel Cathedralibus, hanc etiam assecuta sit, vt eius Canonici habitu purpureo cōspicui, Amplissimi Senatus purpuratorum Patrum, (quo quidem post Christi Vicarium nil

Casp. Brusch. de Episc.

habet orbis terrarum in illo Ordine augustius) dignitatem nobis, maiestatemque repræsentent. Quam quidem Dignitatem vti maiores morũ integritate & disciplinæ, innocentiâ vitæ, optimarum legum conformatione, denique virtutis ac sapientiæ decore clarius è Generosis pectorib. promicante pepererunt, ita vobis Generosissimi Proceres, tum iisdem, quibus parta fuit, rebus retinẽdam instaurandamque, tum vero animorum consiliorumque salutarium cum SERENISSIMO PRINCIPE Nostro consociatione, in hac Academiæ constitutione quam maximè cordi esse curæque declarastis. Etenim cum omnis mortalium vita ad diuinæ maiestatis obsequium, vt nauium cursus ad Helicen, flecti debeat, haud difficili negotio perspexistis, vobis cumprimis pro eo munere, quo reip. procuratio vestris quoque consiliis præsidiisque nititur, omnia vestra studia & conatus, sed & lacertos huc scilicet conferẽdos esse, vt salutaris & Orthodoxa religio, qua vna diuinæ gloriæ propagatio firmatur, tum vero Christiana iuuentus, in cuius honesta educatione totius reip. salus posita est, optimis qua Sapientiæ qua Fidei sanę institutis crescat & roboretur. Accipite igitur


---- Vos, ô Clarissima CLERI
Sidera, & Austriaci Capitis vos proxima membra,
Vos qui estis pectus, qui brachia verticis huius;

accipite inquam testem hanc qualem qualem simul beneuolentiæ vestræ aduersus reip. Ecclesiæq; Alsaticæ incolumitatem, simul lætitiæ ex beneuolentia vestra emergentis cum grata Illustris Vestri nominis memoriâ commemorationem. quam variam & prolixam Vobis deberi seria tum bonorum omnium, tum addictissimorum Vestris obsequiis Patrum sententia contestatur. Principio enim, quod Gratiosissimi Principis Nostri decretum sicut olim piissimę Memorię Antecessoris de Collegio fundã-

do

do Vestri decessores, ita nunc Vos de Academiâ condendâ & Societati credendâ, sacrosancto vestro SenatusConsulto non solum ratum, sed & perpetuum esse voluistis, id sempiternam tum nostrum omnium cumprimis, qui præsentes vestri huius iudicii primitias decerpimus; tum posterorum, vt alia nobis desint, quibus paupertas in voto est, merebitur gratæ mentis apud Deum hominesque recordationem. Cæteræ enim res tametsi sumptus atque impendia deposcunt, tamen temporibus collabuntur, nec perinde prædicatione solent efferri; beneficentia vero & largitas in Ordines religiosos, Collegiorum, Academiarum, Seminariorum fundationes nec obsolescunt tempore, nec obscurantur ignoratione, nec sine laude commemorãtur. Vos itaque hoc gratiosissimo vestro assensu illud vnum cum SERENISSIMO PRINCIPE probatis, vti per hanc adolescentiæ institutionem Christiana Religio suo statu per Alsatiam firma consistat, & sicubi collapsa sit, in tempore reflorescat; ostendistis etiam vos publicæ saluti natos, studia vestra, ceu primaria Cleri Capita & columina, Dei cumprimis honori & glorię, tũ patriæ & ciuium saluti deferre, dum liberos eorum optimis vitæ morumque institutis, & solidarum Artium perceptione imbuendos decernitis, quorum deinde operâ industriaque omnes flagitiorum labes à republ. longissimè repellantur, eaq; sanciatur maiorum disciplina, quam ipsa cælo delapsa Veritas sanctissimis legum diuinarum institutis compaginauit. Ac licet huius Vestræ beneficentiæ lætitia quã ab omnibus percepta æqualiter, tam à Vobis vnanimi consensu parta sit, ideoque omnibus nos merito debere profitemur, non potest tamen nobis non esse iucunda memoria Illustris Amplissimique Herois ac Domini HERMANNI ADOLPHI Illustri Salmensium Comitum & Rifferscheidtiorũ satu oriundi,

qui tum hac Cathedrali Argentoratensi, tum Agrippinensi Metropolitana inter Generosissimos Proceres dignitatis eminentia DECANVS, velut inter ignes Luna minores emicat, illamque ita sustinet; vt qualem tum alia, tum nominatim Concilium Lateranense requirit, sit virtute & moribus commendandus. agnoscimus etiam auitæ paternæque virtutis æmulum, maiorum suorum vestigia premere, qui cùm religione tuenda strenuam & fortem domi militiæque operam aliàs quidem crebro, maximè vero sub Inuictissimis Impp. Ferdinando, Maximiliano, Rudolpho, nauarunt; tum vero illa Catholicorũ Heroum nunquã de memori posterorum mente subducenda elogia promeriti sunt, quibus sinceræ Religionis obseruantissimi, Musarum Patroni incomparabiles laudantur. Quam laudem aliis quoque Illustris huius Collegij, Ecclesiæq; columinibus communem esse, amplissima illa in Academiam fundatam voluntate aduertimus, quos dum singillatim non appellamus, omnium nos ex æquo cultores profitemur. Omninò enim quid vos præstiteritis, quid nos debeamus, præclarè agnoscimus; quid vicissim optemus, quidue pro illa tum in Clerum & Diocesin vniuersam sollicitudine, tum Generosa in Societatem beneficentiæ dignatione præstituri simus, facilè coniectura assequemini; si cogitetis, tantum nos optare, quantum debeamus, tantum in iuuentute optimis moribus expolienda præstituros, quantum possimus.



CA-

CAPVT VII.

SEMINARIVM LEOPOLDIANVM, EXIMIVM QVA PIETATIS & Munificentiæ AVSTRIACAE, qua iuuentutis ACADEMICAE auctarium esse.

AT quis non videt inter grauissimas huius æui tot modis deprauati calamitates, quibus Germania tantum non succubuit, eam facilè principem habendam, quod noui Magistri, dominis ad eorũ arbitrium nimium quam promptis persuaserunt, vt abolita honoris Ecclesiastici dignitate, signis maiorum, amplissimisque Cœnobiorum donariis expilatis, Asylis & Religione templorum violata, deletaque funditus Ecclesiarum disciplina, tum demum veram se pietatem, & perfectum longo interuallo diuinæ maiestatis cultum renouasse arbitrarentur. Sed quonam operæ precio, & legitimæ sortis incremento? Vide sis, SERENISSIME PRINCEPS, quam id Henrici IIX. Anglorum Regis fatalis egestas, & notabilis vectigalium imminutio euidentissime declarauit. Is enim posteaquam pro ea, quam sibi in omnia Sacra nefariè arrogabat potestate, tantam Sacrarum opum vim, cuius vel decima pars auarissimi cuiusque Regis mentem explere valeret, sacrilegè compilasset, cum omnia pœne mille monasteriorum ornamenta, cum fructus, fundos, prædiaque vniuersa, tum Ecclesiarum, tum piorum domiciliorum, cum auro argentoque factas cruces, vasa Sacra, variamque supellectilem in suam potestatem redegisset, cum decimæ omnes, censusque anniuersarij Sacerdotiorum in Anglia, vnius Regis libidini ancillarentur; cælesti numine, cuius religio violabatur, omnia retro agente, magnas hasce opum copias inopia, & auri pondus

Nicolaus Sander. l. 1. Schism. Anglic.

immanesq; thesauros paupertas oppresit. Quippe Sandero Anglo contestante, cum iam expleta ingenti regni lacuna, tot congestis opibus, tributorum remissio ab subditis expectaretur; intra paucos annos egentior Henricus, plus annuarum exactionum & vectigalium ciuibus suis imposuit, quam omnes simul Reges ab annis retro quingentis exegissent; maiores inde conflatæ seditiones, quam ab hominum memoria vnquam antea; denique monetaria res sic partim attrita, partim fraudibus interuersa fuit, vt probus vix vllus numus id temporis cusus percussus in regno illo teneretur. Habemus specimen Principis, qui vti sub Veneris regno infandis amoribus omnia humana diuinaque iura posthabuit; ita posteaquam fidem maiorum penitus obtriuit, & pudoris septa semel transiliit, vt ex Monasteriis, Episcopatibus, Xenodochiis prædas suas ageret; miserrimè à penuria vapulauit. Neque est, quod huius tantum Regis vitiis & moribus eam licentiam adscribamus. quis nescit hinc ferè Germaniam cladis suæ atque ruinæ originem traxisse, quod Principes vel cupiditatis æstu, vel deprauatione cõsuetudinis, vel maleuolorum hominum impulsu abrepti, de Cleri honore, deque immunitatibus commodisq; Religiosorum detractum irent, & opimos Catholicorum Episcopatus, Abbatias, & nobiles Ecclesias vi iniuriaq; occuparent? quibus tamen, cum omnia diripiant & rapta retineant, vt si nihil rapuissent, nihil retinerent, ceu Codro pauperioribus omnia videmus deesse; vt vel sero rem sibi familiarem perire, & à quibus nescio Polypis atque Harpyis discerpi ac fœdissimè dilaniari conquerantur. At vero iis Principibus, qui Ecclesiis, rebusque ad Ecclesiam vel ornandam, vel propagandam pertinentibus, non fauorem solum & tutelam; sed opes etiam fortunasque liberalissimè impenderunt; etiam temporariæ felicitatis remunerationem, ditionum, prouinciarumque accessu, velut

ſut certamine quodam liberalitatis inito, Deum affatim redhibuiſſe peruidemus. Id quod Tui Sanguinis & ſtirpis Otto Friſingenſis Antiſtes ſuo illo, quem poſteritati conſecrauit volumine, & aduertit ipſe, & aliis conſiderandum præclare expoſuit; cum Dei ciuitatem & Sacris Magiſtratibus,& in Romano Pontif. tot opibus tantaque potentia locupletatam vindicaret. *Otto Friſ. in proleg. lib.4.* An non enim hodieque Sedi Apoſtolicæ, quam vnam depauperandam, imo vero intermorituram Islebius vates,neſcio, qua Pythone obſeſſus, vaticinabatur, cum neque pallij, neque indulgentiarum, neque cuiuspiam alterius reſpectu tituloue quidquam ab iis Romam transmitti videamus; cum tam multa exteris populis tribuat, cum inter alia per totam paſſim Germaniam munificentiæ ſuæ in tot erigendis & ſuſtinendis iuuentuti Chriſtianæ Seminariis, tot præbendis aduerſus æternum hoſtem ſubſidiis, impreſſa veſtigia relinquat,cum tot caſibus & periculis reipub. intercedat; nihil deeſſe, imò ſupereſſe plurimum experimur? Quid recenti memoria repetam GREGORIVM PONT.MAX. hoc nomine XIII. de cuius laudibus & ſummis in Germaniam Eccleſiamque vniuerſam meritis nulla vnquam ætas conticeſcet,qui felicia ſui muneris Epiſcopalis exordia præclare de natione Germanica merendo capeſſiit? Quippe Iulii III. deceſſoris ſui beneficam in hanc Gentem voluntatem, quam B.Ignatius Societatis IESV Fundator,& Ioannes Moronus S. R. E. Cardinalis excitarant, & aluerant, complexus; Collegium Germanicum, quod Iuuentuti ad pietatem & diſciplinarum ſcientiam educendæ, tum ad comparanda ſupplementa hæreſibus extinguendis opportuna excitarat; nouis ornamentis circundedit, & iam tum prope collapſum erexit, inſignique ac prolixa munificentia ſuſtentauit; de qua quidem Collegij inſtauratione ampliſſimũ diploma propoſuit, quod ſub annum M. D. LXXIII. in Germania lectum, & ma-

R 2 gna,

gna, vti par erat, bonorum omnium lætitia gratulationéque acceptum fuit. Neque hoc sese vno Religionis propugnaculo in illa terrarum Arce suscitando, Gregorij liberalitas contineri passa est; sed præter alia in Vrbe condita dotataque domicilia, ad quæ omnes prope gentes ex Oceano, ex Alpibus, ex Peloponneso, ex Synagogis, ex Palæstina confugerent; per Germaniam, Galliam, Sarmatiam, Pannoniamque suum singulis pœne nationibus Seminarium exstruxit, Prutenis & Suecis Bransbergense, Vilnense Lituanis, Bohemis Pragense, Austriacis Viennense, Græciense Styriacis, Morauis Olumucense, Dilinganum Germanis, Saxonibus Fuldense, Mussipontanum Scotis & Hibernis, Heluetiis Mediolanense, Remense Britannis, Transyluanis Claudiopolitanum; vbi nouam cum hæreticis depugnandi rationem edocti, non fossas ducere, non circumuallare castra, non sudes figere, non excitare pontes, non machinas protrudere, non vigilare in excubiis consuescerent; vbi non telis aut machinis, sed libris & calamis armati, non sagis, sed togis amicti; non in castris, sed scholis, non in sole aut arena gladiatoria, sed in vmbra & ocio literario exercerentur: & procul à parentum transfugarum Lare complexuque optimis credendi viuendiq; legibus instituti, cum suis postea ciuibus, gentilibus, ac necessariis pedem non vulnerando, sed disputando, beneque viuendo conferrent, vt quos neque Centurio, neque turma subigere valeret, eos Sapiens ac pius Sacerdos debellaret, & quo gladius non posset, illuc oratio quouis acinace penetrabilior perroaderet. Ex quo non iniuria factum est, vt sicut Romam Gentium patriam, Apostolicam sedem Matrem populorum; ita Gregorium verissimum omnium Parentem dissimillimis quidem vocibus; sententiis vero simillimis omnes omnium orarum nationes prædicarent. Hæc ergo eadem cura Tuo animo, SERENISSIME PRINCEPS, antiquissima insedit, quādo

Thom. Bozius de Notis Eccles. lib. 5. ca. 3. Steph. Tuc. in ora. Funebri.

do Alumnorum Seminario cõstituendo peramplam Domum situ & Collegij vicinitate atque aperto vndiq; prospectu opportunam, sex millium ære comparasti; quo iuuentus Sacerdotio Clerique ministeriis dicata, optimis Artium & vitæ institutis à primo ætatis ingressu ex Tridentinæ Synodi præscripto imbuatur: vtque per eos sui iam officij bene peritos, posteris annis disciplinam Ecclesiasticam nõ censura magis, quam exemplo sancires. Adiunxisti etiam alterum illud, quo florentissimi è Germanica nobilitate adolescentuli Tuo beneficio nobilissimas scientias ad generis claritatem adiungerent; quibus iam vndique variorum Ordinum Religiosi adfluunt, & Cœnobiarchis volentibus lubentibusque ea pietatis & eruditionis adiumenta comparant, sine quibus omnem funditus religionem intercidere necessum est. Quid iam de tertio illo studiosorum pauperum contubernio, quod de Tuo SERENISSIMO nomine, LEOPOLDIANVM vocarunt, dicam? quod in Corona virtutis & munificentiæ Tuæ, tanquam lemniscus sæclis innumerabilibus frondescet; quibus nunc à primordiis suis anno M. DC. XIII. captis, & numero, & domicilio, quod nunc paras ampliore, cum omni cubiculorum, reique librariæ supellectile, Tuo prouisu & maximam partem sumptu, victus; nulla alia cõditione aut onere, nisi sperato melioris atque eruditioris mentis profectu suppeditatur; quot iam putas, ex his ipsis ad publicas in vtraque tam politica quam Ecclesiastica functione maturioribus annis ingenia emergent, quæ cæteroqui neglecta penitus in sordibus iacuissent? quot inscitia rerumq; necessariarũ ignoratione detracta, mẽtem scientiarum cultu, bonisq; artibus exornabunt? quot tenellæ animæ per literarum doctrinam ad virtutis & pietatis absolutę decus pertrahentur? quot ex iisdem iam infirmâ ætate domi & in scholis optimis vitæ

morumque disciplinis assuefacti, suos vicissim ea, quæ solerter didicerunt, piè prudenterque docebunt? videlicet Seminaria coniungere Academiis, hoc demum est, non modo veterem illam gloriam Academiis, verum etiam Ecclesiæ Dei, iisdem, quibus olim à primâ sui origine parta fuit, artibus reparare. Sicut enim qui in magnis Christianæ reip. conuersionibus, certis quibusdam signis & coniecturis obseruatis, exinde pereuntis & quasi inclinantis Ecclesiæ status præsensionem elicuerunt; ij religionis & fidei iam intereuntis indubitatum prognosticum accipere soliti sunt, corruptam iuuentutis aut neglectam disciplinam; ita sapientes vix pro ambiguo habent, tum euidentem pristini atque optimi status reip. significationem impendere, vbi adolescentum flos optimarum Artium & morum culturâ renouato nouali, excolitur. Sic enim accepimus; CAROLVM illum, qui, quod religione Constantinum, amore literarum Cn. Pompeium, bellicâ fortitudine Alexandrũ Macedonem Orbi Christiano rediuiuos exhibuisset, omnium sentẽtia MAGNI nomen promeruit, cum fidem Orthodoxam alibi plantare, alibi iam sentescentem, & prauis vel moribus vel erroribus pæne obsitam restaurare discuperet, Academiis institutis, certo item numero adolescentes, quos infimo, mediocri, summo loco natos, magnoque dilectu in plura domicilia distributos regiis impensis educabat, Clementi, quem vna cum Alcuino Sapientiæ mercatum profitente ad se accersiuerat, in disciplinam simul probatissimis morum institutis, simul Libb. Artium disciplinis sub primum ætatis ingressum expoliendos commendasse. An non igitur illi Te iure ac merito PARENTEM suum & nunc appellabunt, & in omnem deinceps vitam agnoscent, quando sicut hac necessitudine, nulla in terris maior inter homines neque sanctior est; ita se plus etiam Tibi, quam ipsis Parentibus debere profitẽtur? cum ab illis, quæ

Sangall. lib. 3. de gestis Caroli M. S. Antonin. cap. 4. tit. 14. Vinc. specul. Histor. Annal. Pithæi. Richeom. in Apolog. Societ.

quæ caduca & fragilia, quæque in eorum qui dominantur libidine sita sunt, vt auferri facilè possint, acceperunt; at per Te in hoc firmo diuinæ humanæque Sapientiæ propugnaculo, animam immortalitùs duraturam aduersus omnem hæresum & barbariei vim, verissimis opibus tutissimisque præsidiis ornabunt solidabuntque.

CAPVT VIII.

GRATIAE SERENISSIMO FVNDATORI, NOMINE ALSATICI Cleri, & Religiosorum.

ETSI vero pro ardentissimo Tuo erga omnes homines, eos maximè, qui in ius ditionemque Tuam Dei prouisu venerunt, ad sempiternam beatitatem prouehendos desiderio, simul vigilantissimi ANTISTITIS, simul ARCHIDVCIS verè AVSTRII, id est, de Religione, deq; Rep. Christianâ benemerentissimi numeros egregiè explesti; tamen nescio, quomodo ECCLESIASTICVS ORDO, cuius dignitas in Orthodoxa Dei Hierarchiâ supra ipsa etiam sceptra Regumque purpuram obtinuit principatum; huius Tuæ beneficentiæ fructum, si non in solidum; at potissimam certè partem, ad se pertinere arbitratur. sic enim ratiocinati sunt; cum ipse Princeps sis Ecclesiasticus, iis Te quam maxime opem auxiliumque debere iudicasse, qui & ipsi sunt Ecclesiastici, & huic sese instituto siue exornando, siue ampliando totos dediderunt. Quamuis igitur hæc augusta laudatissimarum Artium officina, quam Tu, SERENISSIME PRINCEPS, in totius Alsatiæ adeoque Europæ luce omnibus in commune fruendam constituisti, maiorem ex nostra prædicatione accessionem expectare non posit; illud tamen vereor, ne si debitam gratiarum actionem

Sacri

Sacri Cleri, ac Religiosorum Ordinum nomine, intermisero, & ipse ingrati silentij probrum hodierna Panegyri non effugiam,& ineluctabilem apud illos offensam promerear, qui hoc se munificentiæ Tuæ trophæo,mirificè decoratos haud iniuria gloriantur. Quos enim de hac Tua Academia sermones vbique non haberi putas, qua prædicatione, quibus laudibus hoc Tuæ liberalitatis munus non efferri, quas non gratias Deo ab omnibus piis dici arbitraris? ipsa profecto templa,quę in hac Diœcesi sunt,lætari,ipsa, si fieri posset, Cœnobia suis sese effundere sedibus conari videntur, & Tibi velle coram gratias dicere, quod iam demum sua ipsis sanctitas, suæ imagines,suæ arę,sua sacrificia,quę per tristes & multiplici euentu formidabiles hęreticorum incursus vel iacuerunt, vel interrupta sunt, in pristinam dignitatem restituta & stabilita esse videantur. Et quia vident Sacrosancti Deoque dicati homines, non aliam largitatis Tuæ metam fuisse, quam vt, tamquam nouus huius æui Zorobabel,Templum Dei,siqua parte violatum fuit,in auitam Religionis decorisque sedem reponeres; idque euigilato studio consilioque vnicè agere, vt in hac Tua Nobilissima Diœcesi Sacerdotũ ac Cœnobitarum Sapientia, fide,autoritate grauium, & cum cætero doctrinarum apparatu, tum inprimis Theologicis studiis excultorum copia suppetat; quorum sit, vt Soles alios illuminare, vt bases grauissima, quæ in animorum cura insunt onera, sustinere; dabunt hoc amplissimo Tuo beneficio excitati operam, vt quod Tibi gratissimum esse sciunt, multo etiam maiore, quam hactenus animorum contentione in salutem tum omnium,tum singulorum incumbant; atque his tantis præsidiis communiti, sese quodam modo de omnibus benè merendo superare conabuntur. Et poteſtne Tibi, SERENISSIME PRÆSVL, quidquam hoc gratiarum genere iucũdius accidere, quam si videas per

per Sacrosanctos Cleri ac Religiosorum non tantum vitę morumq; integritate,sed omnigena etiam disciplinarum cognitione illustrium ordines,omni errorum labe abstersa,variam lucem qua Tuæ prouinciæ,qua finitimis regionibus affundi; ex quo perniciosis de Religione dissensionibus cōsopitis efferatæ tot dissidiorum assiduitate mentes, hisce pacis Artibus mitigatæ ad studium inquirendæ veritatis inardescāt? Videas etiam & sentias felicissimum illum Christianæ rei ortum, illamque primigeniam gloriam, quam trium Sanctissimi nominis fama sempiternorum Antistitum Eucharii, Valerii, Materni, indefessus labor inuexit, per omnia Religionis & priscæ pietatis exempla reflorescere; tandemque grauissimis illis, tam variis, tam latè fluentibus malis, quibus per insolentissimam variarum hæreseon impudentiam Alsatica Tua ditio iactata fuit, defungi. Nimirum hæc Tibi sola ex innumeris immortalibusq; pace ac bello partis monumentis ad sempiternam Maiorum Tuorum gloriam, adiicienda victoria superest, hic agendus triumphus, hoc figendum ad perpetuam Argentoratensis Tui Præsulatus laudatissimè administrati memoriam, trophæum restabit.

FINIS LIBRI SECVNDI.



ARCHIDVCALIS ACADEMIÆ NOVÆ MOLSHEMENSIS,

A

REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO D.

LEOPOLDO

ARCHIDVCE AVSTRIAE, &c. EPISCOPO ARGENTINENSI ET PASSAVIENSI, &c.

FVNDATAE, ET PANEGYrico Explicatæ

LIBER TERTIVS.

DE *ALSATIA, IN QVA FVNDATA EST ACADEMIA MOLSHEMENSIS,*

Procemium.



VEMADMODVM Optimi quiq; Agriculturæ Præceptores non minorem curam in soli quam cœli electione, plantariis rite constituendis, impendendam esse arbitrati sunt; atque idcirco nos ad bonitatem fundi peruestigandam quamplurima signa docuerunt; ita Sapientissimi rerumpubl. Gubernatores, qui pari pre-

vi precio calamum & hastam, pari cura imperij, quod politia, & animi regimen habent, quod doctrina comparatur; in Academicis honestissimarum Artium palæstris fundandis, vti quibus splendor Principum, vrbium honos, amor virtutis, & bonorum omnium decor continetur, haud solum ingeniorum rationem sibi habendam duxerunt; sed eo etiam adnisi sunt, vt temperato ac salutari aëris cælíque aspectu, opportuno situ, siluarum, camporum, fontium, aliisque id genus amanitatibus vigor ille & feruor studiorum quam vegetissimus redderetur. Sic enim Academiæ locum Athenis in suburbio procul à fori & curiæ strepitu, per Cimonem fortissimum Ducem riguis & vmbrosis ambulacris exornatũ, Laydis Cyrenei Scholam in hortis ab Attalo Rege iucundissimo situ ædificatam, ab Theophrasto Gymnasium in viridario iuxta ædes positum accepimus, quod etiam moriens testamento philosophantibus reliquit. Idem prorsus Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, in commodissimo ACADEMIAE TVAE Alsaticæ fundo decernendo propositum fuisse videmus; vt non solum florentissimæ indolis, quæ in Alsatis Tuis ad omnem ingenuitatem factis elucescit; sed loci etiam solique dilectum haberes: quo tener ille flos adolescentum, tanquam in amænum quoddam rosetum collectus, optimis tum disciplinarum, tum etiam virtutum rudimentis innutritus, in illo ætatis lubrico perpetua quadam vitæ morumque integritate adolesceret: vnde postea æuo robustiore, diuina humanaque Sapientia probè perfusus, & vnà cum Sapientia optimis morum institutis maturescens, superatis animi magnitudine vitiis, odorem vitæ in vitam quaquauersum exhalaret. Et sanè non immeritò ACADEMIAM hortum dixerim, non illum Midæ, Tantaliue, non Alcinoi, non Hesperidum, quos fabulosis carminibus figmentisque poëtæ plantarunt: nec pensilem illum Semiramium, quem audax hominum genus de terra in aërem, quasi coloniam nouò penitùs

exemplo transvexit: amœna quidem cuncta & sumptuosa: obsoleta tamen nunc, & ipso sui vsu pereuntia: sed hortum illum ad instar Damasceni solidis doctrinarum præceptorumque amænitatibus viridantem, profluum, amœnum, gratiosum, & versicolorum herbarum florumque suaueolentium specie variegatum: in quem adolescentes, certis Scholarum Classibus, tamquam apiculæ suis aluearibus distinctæ, plenis examinibus quotidie florigeris disciplinarum morumque gemmis aduolitantes mellilegium faciant, & confertas dulci nectare cellas animorum distendant. Erit itaque operæpretium, SERENISSIME ARCHIDVX, paucis demonstrare, ALSATAS TVOS non indignos hoc ACADEMIAE abs Te positæ *beneficio videri: & vero tam opportuno illos cælo soloque Tua munificentia ætatem in doctrinarum perceptione posthac posituros: vt nihil vel ad studium opis, vel ad laborem subsidij, vel ad commoditatem additamenti desiderare possint. Neque vero Tibi ipsi, SERENISSIME PRINCEPS, hodierna Panegyri molestum aut iniucundum accidet, de ALSATIS TVIS disserentem audire: qui cum singulari Dei prouidentia Tui effecti sint, ad Te vnum potissimum eorum cura pertinere videtur: vt in hoc amænissimo ACADEMIAE viridario, ceu nouellæ plantulæ, quò eas ad salutarem Ingenuarum Artium succum combibendum aptiores compereris, hoc sereniore benignitatis Tuæ radio, & crebriore gratiæ irroratione recreatæ altiùs radices agant, feliciusque prouectæ diffundant ramos, expandant folia, in florem erumpant, tandemque adultioribus annis in poma fructusque ad commune Christianæ reipubl. bonum grandescant. Neque tamen diu hic mihi esse immorandum video; ne iustam Plutarchi reprehensionem incurram, qui stultè Bionem egisse aiebat,* quod agrum laudando potius, quam fodiendo se fer-

ſe fertilem atque frugiferum redditurum exiſtimaſſet. *Agnoſcent certè, vti confido, ALSATAE omnes, quam eximio per Te beneficio hac ACADEMIAE plantatione mactati ſint: vt citra iniuriam inuidiamque aliorum illud Poëtæ iis occinere audeamus:*

Felicem nimis ALSATIAM, bona ſi ſua nôrit.



CAPVT I.

ALSATARVM ABORIGINES, PRISCI RITVS, SACRA, Magiſtratus.



NTIQVITATIS ea eſt apud omnes gratia & exiſtimatio, vt complures Gentes, quæ laudare aliàs ſe non poſſent, vnâ ſe vetuſtate prædicarint. Et Ægyptii, Diodoro Siculo, Herodoto, ac Mela autoribus, primos ſe mundi incolas iactare ſoliti, quo præſtarent dignitate cęteros, vaniſſima multorum millium annorum enumeratione contendebant. principio itaque in Alſatarum primæua origine perueſtiganda, vt incomperta & irreperta, imo vero conficta ſuperioris æui commenta, quæ nullo reclamante ipſa temporis longinquitate in ſpongiam & fabulas iure ſuo abiêrunt, in medio relinquamus; quibus, vt in Tuiſconum proſapia, Herculis Alemanni, in Francorum hiſtoria Iliacus ſanguis, in aliis neſcio quæ Semideorum & Semonum propagines nobis obtruduntur; prout figulos iſtos vel gratia & fauor, vel ambitio, aliæque hiſtoriarum peſtes quibuſdam velut errorum pedicis illaquearunt; vnumque

Diodor. Sicul. hiſtor. Rom. Herod. in Euterpe. Mela lib. 1. ca. 10.

exemplo transvexit: amœna quidem cuncta & sumptuosa: obsoleta tamen nunc, & ipso sui vsu pereuntia: sed hortum illum ad instar Damasceni solidis doctrinarum præceptorumque amænitatibus viridantem, profluum, amænum, gratiosum, & versicolorum herbarum florumque suaueolentium specie variegatum: in quem adolescentes, certis Scholarum Classibus, tamquam apiculæ suis aluearibus distinctæ, plenis examinibus quotidie florigeris disciplinarum morumque gemmis aduolitantes mellilegium faciant, & confertas dulci nectare cellas animorum distendant. Erit itaque operæprecium, SERENISSIME ARCHIDVX, paucis demonstrare, ALSATAS TVOS non indignos hoc ACADEMIAE abs Te positæ *beneficio videri: & vero tam opportuno illos cœlo soloque Tua munificentia ætatem in doctrinarum perceptione posthac posituros: vt nihil vel ad studium opis, vel ad laborem subsidij, vel ad commoditatem additamenti desiderare possint. Neque vero Tibi ipsi, SERENISSIME PRINCEPS, hodierna Panegyri molestum aut iniucundum accidet, de ALSATIS TVIS disserentem audire: qui cum singulari Dei prouidentia Tui effecti sint, ad Te vnum potissimum eorum cura pertinere videtur: vt in hoc amænissimo ACADEMIAE viridario, ceu nouellæ plantulæ, quò eas ad salutarem Ingenuarum Artium succum combibendum aptiores compereris, hoc sereniore benignitatis Tuæ radio, & crebriore gratiæ irroratione recreatæ altiùs radices agant, feliciusque prouectæ diffundant ramos, expandant folia, in florem erumpant, tandemque adultioribus annis in poma fructusque ad commune Christianæ reipubl. bonum grandescant. Neque tamen diu hic mihi esse immorandum video; ne iustam Plutarchi reprehensionem incurram, qui stultè Bionem egisse aiebat,* quod agrum laudando potius, quam fodiendo

se fer-

ſe fertilem atque frugiferum redditurum exiſtimaſſet. *Agnoſcent certè, vti confido, ALSATAE omnes, quam eximio per Te beneficio hac ACADEMIAE plantatione mactati ſint: vt citra iniuriam inuidiamque aliorum illud Poëtæ iis occinere audeamus:*

Felicem nimis ALSATIAM, bona ſi ſua nôrit.



CAPVT I.

ALSATARVM ABORIGINES, PRISCI RITVS, SACRA, Magiſtratus.



NTIQVITATIS ea eſt apud omnes gratia & exiſtimatio, vt complures Gentes, quæ laudare aliàs ſe non poſſent, vnâ ſe vetuſtate prædicarint. Et Ægyptii, Diodoro Siculo, Herodoto, ac Mela autoribus, primos ſe mundi incolas iactare ſoliti, quo præſtarent dignitate cęteros, vaniſſima multorum millium annorum enumeratione contendebant. principio itaque in Alſatarum primæua origine perueſtiganda, vt incomperta & irreperta, imo vero confictà ſuperioris æui commenta, quæ nullo reclamante ipſa temporis longinquitate in ſpongiam & fabulas iure ſuo abiêrunt, in medio relinquamus; quibus, vt in Tuiſconum proſapia, Herculis Alemanni, in Francorum hiſtoria Iliacus ſanguis, in aliis neſcio quæ Semideorum & Semonum propagines nobis obtruduntur; prout figulos iſtos vel gratia & fauor, vel ambitio, aliæque hiſtoriarum peſtes quibuſdam velut errorum pedicis illaquearunt; vnumque

Diodor. Sicul. hiſtor. Rom. Herod. in Euterpe. Mela lib. 1. ca. 10.

illud agere voluisse visi sunt, vt nõ tam gentium primordia, quam vanum quodpiam & inane suorum ingeniorum in cerebro exsculptum simulacrum apud posteros propagarent; mihi sanè vt magnorum fluminum, sic validissimarum etiam nationum ortus lapsusq; propemodum incomperti videntur. id quod in Germanis nostris, (è quorum natione ALSATAS nostros in omni antiquitatis æuo fuisse, & vero præstitisse patebit) manifestum esse video. Liceat igitur mihi, SERENISSIME PRINCEPS, non quidem exactè, atque ad decempedam omnia exigenti, (aliud enim & amplius stadium hic sudor desideraret) sed quasi per transennã, factâ duntaxat inspiciendi copiâ, vt in ferculorũ pompis fieri solet, ALSATARVM, quorũ in hac Academię luce maximam partem adesse video, primigenios Patres, Sacra, & Magistratus producere. Sanè vero Gentes eas omnes, quæ Pyrenæis Graiisque iugis, quæ Peninis, Cottiisque Alpibus inclusæ, quæque cinctæ mari Mediterraneo, Aquitanico, Britannico, & non modicam partem Germanico, Bohemiam versus atque extremos magnæ Germaniæ limites, Danubium & Rhenum incoluerunt; vetustissimo vocabulo CELTAS, (quod pleriq; à claritate deduxerũt) agnominatos, tum in veteri historia obuium est, tum ex Hipparcho apud Strabonem explicatè cognoscitur. Porro Celtarum nomen, quibus multo maximam in Europæ diuisione partem optimi Scriptores tribuerunt, licet quadam temporis progressione in Galliarum colonias venisse, in iisque solis hæsisse, non ausim contra tot iam præiudicatas opiniones inficiari; vno tamen verbo Germaniam Galliamque complectebatur; imo Germaniæ quondam populis Celtarum vocem tam fuisse peculiarem non ab vltimis modo Græciæ Scriptoribus, sed ab longissima etiam vetustatis memoria repeti potest: vt velut palmaria & princeps huic nationi tribueretur. atq; vt Dionem Cassium non

Plin. lib. 4. ca. 17. Cornel Tacit. Ammian. Marcell. Petracha. Silu. Isaac. Casaub. ad Strab. M. Velser. rerũ Boic. lib. 1. Suid. hist. lib. 1. Appian. VVolff. Lazius de migrat. gent. lib. 5. Stephan. Forcatul. IC. de Gall. Imp & Philos. Dio. Cass. lib. 39.

non appellem, Suidas clarissimè Celtas Germanos Rheni accolas est interpretatus; & Strabo ex Ephoro totum Occidentem (quo nomine quidquid à Danubio nobis ad Septemtrionem respiciente; Græcis vero ad Occidētalem plagam collocato, ad citeriores partes portenditur, intelligunt) vna vocabuli appellatione à Celtis meminit habitatum. Aristoteles ipsum Danubium in Celtica originem suam habere prodidit; vt minus audiendi sint, qui Celticum nomen vel maximè Germanis, vel iis pœne solis proprium in illas Sequanę & Garumnę angustias contra veterum Geographorum tabularia violenter compulerunt. Nec dissentit Cicero, qui res, quas alij in Celtica, ab Iulio Cęsare præclare gestas memorant, ipse strictim percensens, cum acerrimis, ait, nationibus & maximis Germanorum & Heluetiorum populis felicissime decertasse. Neque tamen ignarus sum, ante Cæsaris in Germaniam aduentum, sub Ariouisto Germanorum Rege (à quo nonnulli Ernesti nomen, deducunt, alij Nobiles hodieque compellatione honorifica Ehrenvest nominari suspicantur.) Gallos in Germaniam transgressos; modo & illud mihi dent, quod est apud Corn. Tacitum, Tribocos, Nemetes, Vangiones, qui Cæsare belligerante citeriorem Rheni ripam incolebant, haud dubie Germanorum populos fuisse. & diserte Ammianus Marcellinus explicat, & cum eo Ptolemæus in Geographicis, sicut Agrippina cum Tungris ad inferiorē, quam & Secundam nominant; ita cum Magontiacis, Vangionibus, Nemetibus, Tribocos, id est, Alsatas nostros ad superiorem, siue primam Germaniam, quæ & magna, & hodie vernaculo idiomate alta dicitur, pertinuisse. Et vero Nobilissimam Germaniæ Sedem

Aristot. 1. Meteor.

Cic. orat. de prouinc. Coss.

Cæsar. li. 1. bell.

Gorop. Bec. Hadr. Iun. in Batau. & alij.

Tacit. li. 4.

Am. Marc. lib. 15.

Cæsar li. 1. comm. de bello Gall.

Strabo l. 4. & lib. 7. Geogr.

Sedem in Alsatia nostra fuisse facile assentiatur, quisquis apud Cæsarem meminerit, Ariouistum Germanorum Regem & eundem Helsaticum (eò quod Alsatiæ siue Halsatiæ cum regali potestate pręesset) occupata exercitu centum & viginti millium Germanorum, tertia Sequani agri parte, diu in Sequanorum finibus regnasse; vnaque cum Duce suo Tribocos, vt Strabo loquitur, natione Germanos, relictis penatibus Rhenoque transito, tum in Sequanis, tum in Mediomatricis sedes aliquando posuisse; neque dissentiunt eruditi, quorum alii cum Cæsare scribunt, Ariouistum in Sequanis longâ quadam commerciorum assuetudine Gallicam linguam didicisse, eademque subinde vsum; alij Heluetios, Rauracos, Brisgoenses, & Tribocos antiquam Gallię tum libertatem, tum maiestatem, tum denique linguam obtinuisse asseuerant. Licet enim Germani αὐτοχθόνες, Cornelio Tacito referente, fuerint, qui aliarum Gentium sub id tempus aduentibus hospitiisque permisti non vixerint, quia tamen bellis diuturnis assueuerant, vt apud Florum, bellicosissima gens, apud Tacitum armis, viris, & memoria nominis clara, apud M. Tullium acerrima maximaque natio audierint, irrequieta quadam imperij prorogandi vna cum Duce suo cupidine æstuabant. Valuitque tantum ex bellica felicitate nomen Ariouisti Allatarum Ducis apud Romanos, vt illius placandi & demerendi gratiâ magnis identidem submissis muneribus, fictam an veram amicitiam testificati, amplissimo honoris titulo Regem atque Amicum suum salutarent. donec illum

Corn. Tac. de morib. German. Althamer. in Tac.

Ant. Sabel. Flor. lib. 3. epit cap. 3. Tacit. lib. 1. histor. Cic. loco cit.

tandem

tandem C. Iulius Cæsar validissimâ manu victum compressumque perdomuit. quo funditus profligato, deletoque fortius quam maturius exercitu, vbi in Eburones, Neruios, Codrusos mouisset; tandem Germanos denuô rebelles cum Ambiorige Treuirorum, & Induciomaro, Regibus, in potestatem redactos, Præsidibus & Præfectis ab Vrbe Roma destinatis, traductisque coloniis, subiecit. Et fuit tantus Coloniarum in Germaniam Galliamque transeuntium splendor, vt Tacitus luculentus rerum Germanicarum Scriptor affirmet, republica necdum satis pacata, CXIII. Senatores ex vrbe Roma Rhenum traiecisse. Atque vt ALSATARVM gloria certius liqueat, illud minimè reiiciendũ, quod ab Alsatis insignem Ducatus Burgundici regionem (quam Alsetum, alias Halsetum, docti fere Alexiam hodie nominant) post eas partes iure belli subditas denominationem accepisse, vero sit propius; quando vetustis monumentis compertum est; complures Ciuitates colonorum, vnà cum familiis nomina velut vsucapione participasse. Et fuit tempus, quando Austrasiæ quoque regnum commune Alemanniæ nomen tulit; quod tum factum arbitror, posteaquam Iustino autore, Galli abundante multitudine, cum eos terræ quæ genuerant, non caperẽt, trecenta hominũ millia ad nouas sedes quærendas velut peregrinatum emiserunt. Vt non ALSATÆ soli, sed quidquid ab Alsatiis ad vsque Oceanum populorum esset, etiam inferæ Germaniæ nationibus comprehensis, Germani vocitarentur; in quibus tamen ita eminebat autoritas ALSATARVM, vt Antoninum, Aurelium, Alexandrum Cæsares, ex Concordiis Germaniæ oppidis, quæ in ALSATIA Romana libertate maximè pollebant, præsidia deducere, fidem eorum opemq; implorare, & eos in ami-

Corn. Tac. lib. 1. com.

Tac. lib. 5.

Cõtract. in Chr. C. Bro vverus in Not. Venant. Fort. Picar. Celtoped.

citiam recipere consuesse, publicis monumentis cõtestatum sit. Verum enimuero sicut nomen Germanorum tot ferè notationes explicationesque sensit, quot hominibus vel ocio, vel ingenio abutentibus excogitare lubitum fuit; sic ALSATARVM primam denominationem nonnihil eruditorum ingenia distraxisse reperio. Etenim alij ab ELCEBO; quod Ptolemæo Tribocorum oppidum supra Argentoratum fuit, quodque recentiores vel Selestadium, vel certè haud longè inde stetisse contendunt, quasi ELCESATIVM, alij ab ELLO flumine, ELISATIVM, quod nonnulli ALSAM dicunt, alij ab etymo vernaculo, quasi Edelsaß, id est, NOBILEM SEDEM, siue ob cõfertam Nobilitatis hasce oras occupantis multitudinem, siue ob nobilissimum soli feracis genium deriuant; TRIBOCOS vero ab tribus fagis, quas impensè ante importatam Euangelicę veritatis lucem venerabantur, eosdem appellatos, nõ proletariæ doctrinæ viri asseruerũt. Sed iam in veterem possessionem priscos ALSATAS vindicatos, in sua etiam, quæ antiquitus Sacra coluerunt, asseramus. nam humano generi inter ipsa nascendi cunabula imis ab penetralibus insitum fuit, Deum aliquem venerari; neque vlla vnquam natio aut genus hominum tam extitit immane aut horridum, quod non alicuius siue veri siue ficti Numinis Religione teneretur.

AEn. Silu. in Europ. Irenic. li. 1. cap. 46. Gorop. antiq. Antuerp. Iun. in Batau. VVolff. Lazius de migr. Iacob. VVimphel. epit. Germ. cap. 24. Suffrid. de orig Fris. lib. 1. c. 14. Beat. Rhe. rerũ Germã. l. 3. in ELCIBO.

Quo in genere priscorum ALSATARVM Numina, quæ ex veteri memoria suppetunt, cum vniuersis Germanis communia fuisse opinamur. Hinc illi cum Romanorum more, nihil inauspicato gererent, præter Iouem, Isidem, Ditem, etiam Herculem proiecta gentium veneratione tum alias, tum vero maximè cum bella cierent, & coluisse, & nomen eius in ipsa dimicatione inclamare solitos historiarum autores tradiderunt. Martem vero Gradiuum, (quem Theutatem alij, nonnulli vero Irmensuell dixere) cum bellicosi essent, in Germania cultum alia pluri-

AEn. Silu. de moribus Germ. & cap. 30. Europa. B. Rhenan. loc. cit. Lal. Bis. tol. 10. 1 lib. 20. c. 13. Martin. de Roa. sing.

ma,

ma, tum illud argumento eſt, quod complures per Germaniam Vrbes ab eodem nomenclationem, vt Marburgum Haſſiæ Metropolis, Marsburgũ in Sueuia, in Miſnia Martiopolis ſiue Merceburg, apud Europæarum rerum chorographos deſumpſiſſe pateat. & pugio ille, quo ſe Otto confecerat, teſte Siluio, Coloniam transmiſſus fuit, vt Marti anathema appenderetur. Dianam vero & Mercurium doctrinæ & eloquentiæ Præſides ALSATIS in non vulgari honore fuiſſe, partim ſimulacra Seleſtadiani templi muris inſerta oſtendunt; tum illud inprimis, quod fama eſt, haud procul EBERSHEIMIO ſtetiſſe templum MERCVRIO ſacrum, in quod Iulius Cæſar aliquando ſubierit idolo litaturus, quodq; deinde B. MATERNVS, cum aliis delubris in nemorum collibus, quos à paganis hodieque indigenæ appellant, cum ALSATAS ſuperſtitionem omnem dedocuiſſet, iis lubentibus in vicinam voraginem præcipitauit. Quorum Flamines Sufflaminesque Druidas plerique, vel Bardes, Vates Strabo, Eubaces Ammianus, Saronidas Diodorus, alij aliter dixerunt. Iam veſtem cultumque corporis quod attinet; is, qui olim fuit, hodieque in ALSATIA apud ſolas fæminas, quæ ſui iuris tenaciores vt plurimum ſunt, perdurat. PELLIBVS enim quõdam, (quas ἀπὸ τῶ ῥίνα Rhenones dictas, potius, quam à renibus autumo) Germanos vti ſolitos non tam frigoribus arcendis, vt Sarmatæ, quam ornatus gratia, illud conuincit; quod peregrinarum ferarum vel ab ipſo mari Balthico adlatas in Germaniæ citerioris limites, Althamerus in Tacitum, & Cæſar fateantur: & hodie exoticarum pellium vocabula, quarum alias Zobelinas, licpatas alias, nonnullas Luſatias, quaſdam Hermelinas nominarunt, etiamnum perſeuerant: illud vero quam non Germanæ conſtantiæ laudem promeretur, quod inter tot aliarũ Orbis partium viciſſitudines, apud ſolos ferè ALSATAS priſca Germanorum lingua, qua

Inſcript. Sacroſanct. Althamer. in Tac.

Picardi Celtoped.

Iaco. Vvilich. in Tac. Althamer. ſup. cit.

facilè annis abhinc ſeſquimille vſos fuiſſe ex vetuſtiſſimis quibusque membranis elicitur, ſola pronunciationis aſperitate nonnihil emollita, in hodiernam lucem perſeuerat. vt ſicut ipſi ſuis in ſedibus; ita lingua in ipſis indigena, & αὐτόχθων æternarit. Cæterum Germaniæ prouincias primum quidem cum poteſtate Reges obtinuerunt; quo titulo Ariouiſtum Cæſar & Eutropius, Teutobochũ L. Florus, Vannium Tacitus, Suetonius Maroboduum, Semiguntum Strabo, Bannaſcum, Veritum, Malorigen Siluius, alij alios inſigniuerũt. & de vno Maroboduo Cæſar Romæ in Senatu quondam diſſeruit, non Philippum Athenienſibus, nõ Pyrrhum aut Antiochum Populo Romano perinde metuendos fuiſſe. Viguitq; ſub idem tempus ea priſcorum Germanorum apud Romanos fama, vt Imperatores iam tum florẽtiſsimis Imperij temporibus, quod in Druſo, Domitiano, Nerua, & Tiberio Neruę F. accepimus, ab Germania, non ob victoriam (nũquam enim tota deuicta fuit) ſed ob fortitudinem animi & corporis robur, fidem item & conſtantiam GERMANORVM, ambitioſius ſibi quam verius arrogandam, ceu magnifici honoris vocabulo GERMANICI appellarentur. Deinceps vero Germania Galliaque in ditionem Romani iuris ſuccedente, Pręſidum Roma tranſmiſſorum imperiis gubernabantur. qui cum auaritia ſordidi exactionum publicarum nomina in quæſtus proprij emolumenta verterent, occaſionem ſæpenumero rebellandi dederunt; vt non vanè Tiberio Cęſari defectionis cauſſam in fideliſſima Germanorum natione ſciſcitanti, Bato Dalmatarum Regulus reſpondiſſe feratur, eam vel vnicam vel principem ſibi videri, quod ad gregis cuſtodiam ex Vrbe non canes, ſed lupi mitterentur. Præſidibus tandem Conſtantinus, eximiis Orbis reſtituti ornatique meritis verè Magnus, Præfectos Prætorio ſubrogauit. qui ab Vrbanis, vt eruditi aduerterunt, in eo differebant, quod Prætoriani ſecun-

Tacit. li. 2. & 12. hiſt. Eutr. lib. 9. Luc Flor. lib. 3. ca. 3. Strab. li. 7. Georg. AEn. Silv. in Germ. cap. 63. Henr. Bibel. c. 9. pro German.

VVillich. in Tacit.

Beat. Rhenan lib. 1. rerũ Germ.

do loco

do loco tituloue censerentur; quibus vero Roma caput mundi, Patres item & populi commendati erant, tantum non primo loco rexisse, id est, ipsis Augustis honore & titulo exæquatos, è Symmacho cæterisque probatissimis autoribus manifestum est. etsi titulos secundos ad Præfecturam secundariam, & Vicarios quoq; referri haud ignorem. Sub Prætorianis autem eiusdem Constantini instituto, Magistri equitum peditumque, ad Præfecti Prætorio arbitrium, dilectus, armaturæ, stipendiorum, ac disciplinæ militaris curam gerebant. hos in Consularium Legatorum vicem suffectos Vegetius docuit, à quibus non binæ tantum legationes, vti olim, sed plures etiam gubernarentur. denique sub Magistri peditum Imperio Comes fuit Tractus Argentoratensis, libro, Codicillis, & Viri Spectabilis titulo insignis. ad cuius arbitrium siquid motuum aut ciuilium aut exterorum per Germanias cieretur, in hisce Tribocorum finibus ad Vogesi fauces Tabernis Alsatiorum militares copiæ omni occasioni imminentes excubabant. Tandem vero Theodosio Imperium moderãte, ita honorum gradus inter capita Vrbiũ tributi sunt, (quod ex rescripto eius claret,) vt in Vrbibus primatũ Antistes seu Episcopus, & Præfectus Prætorio; Honorati, qui publicis muneribus perfuncti; Possessores, qui fortunis opibusque antecellebant, rempub. gubernarent. tametsi haud negarim, etiam posteris sæculis, vt regnum Lothariense, sic Alsatiam per Comites iure beneficiario fuisse administratam. Sanè vero post institutam ab Dagoberto Diœcesin totius reipubl. summam penes Episcopos fuisse, tam in confesso est, vt si quis è posteritate inficiari velit, eum non modo fidem ac vadimonium deseruisse, sed meditato quodam Ecclesiastici nominis odio & iuris iniuriosi machinis autoritatem omnem peruicaciter oppugnare, acta doceant

Euseb. Chr.

Veget. li. 2. de re milit. cap. 9.

Pancirola de Com. Imp. Notitia Imperij lib. 2. c. 20. & 75.

Beat. Rhe. loc. cit. Abra. Ortel. L. Defensores. 8. Cod.

vltimæ vetuſtatis. Cum Præſulatus huius firmamenta vſque ab Eccleſiæ naſcentis moribus & Chriſtianitatis ipſius cunabulis accerſantur; quæ quidem debita Sacro Ordini, ſubditorum obſequia à liberis quibusdam Ciuitatibus tum excuti cœperunt, poſteaquam vel Magiſtratus frigore quodam afflati diſſimulatione vſi ſunt, vel ſubditorum dolis intercepti Antiſtites tempori cedendum æquius melius duxerunt, vel certè Deo ita permittente, hoc morum vitæque licentia promeruerunt, vt multorum capitum arbitrio exagitandi ſuauiſſimo vnius Paſtoris iugo deſtituerentur. Sed nolim tam lætam iucundamq; diem dolore quantumuis iuſtiſſimo funeſtare. Illud nunc vide, SERENISSIME ARCHIDVX, an non hic noua mihi gratulationis ſeges oblata ſit, quod eam Tibi palmam Deus in hoc tempus reſeruaſſe videatur, vt Gentem ab hominum memoriâ, etiam cum cæca quondam gentilitatis caligine obtenebraretur, nobiliſſimam; nūc vero in fulgentiſſimâ Orthodoxæ fidei luce poſitam hac Regiâ diſciplinarum conſtitutâ redderes nobiliorem? At iam, vt video, ex hoc ipſo capite

Iuſtior, & maior laudum mihi naſcitur ordo.

CAPVT II.

ALSATARVM AD FIDEM ORTHODOXAM CONVERSIO; EOSQVE primos è Germanica natione ad Chriſtiana Sacra reſpexiſſe.

QVEMADMODVM enim ij, qui aliquamdiu tenebricoſo loco, iucundiſſimo Solis aſpectu deſtituti latuerunt, vbi in nouam ſeſe lucem ſenſim immergi, & ex abditis retruſiſque ſedibus euadere ſentiunt, vberiore ſe quadam lętitia perfundi, & quaſi nouum vitæ genus

nus ordiri arbitrantur; sic mihi illorum temporum spacia, quæ Alsatas nostros densissimis errorum tenebris inuoluerunt, emenso, par interioris lætitiæ materia & voluptatis sensus offunditur, dum in Catholicæ fidei sincerissimam facem vna cum illis oculos atque aciem mentis euibro. Et habet Argentoratensis Diœcesis tum alia complura cæteris communia, quæ in laudem & commendationem adduci possunt; tum vero hoc excellens; quod prima in Germaniâ intemeratæ Religionis fidem accepit. Enimuero, ex qûo increata Verbi Sapientia ad arctiorem humani generis complexum, in terris cum homine quasi delicias suas faciens, acerbissima deinde morte affecta fuit: debellatis animarum hostibus ad cœlestem patriam cũ triumpho redux, Vicarium in terris quasi alterum se destinauit, qui per Apostolos cęterosque fidei nascentis propagatores orbem vniuersum à labe exitialium & pestiferarum superstitionum vindicaret. Itaque dum Romani Imperio suo longè lateque producendo fortius an ambitiosius incumbunt, nullumque sibi modum statuunt Regibus populisque liberis per Asiam, Africam, atque Europam quaquauersum dominãdi; Christus etiam humani generis Assertor, discipulis iam tum per diuersas gentes prouinciasque diuinam & admirabilem Euangelij sui lucem circumferentibus, bello palam dĩs dæmonibusque indicto, suum item nomen atque imperium longè latèque per Orbem terrarum proferre satagebat. Itaque Claudio iam alterum annum imperante, Petrus Apostolorum Princeps (quem Ecclesia Antiochiæ constituta Vrbem Romam deinde Euangelij caussa intrasse, & IESV crucifixi nomen cultumque salutari prædicatione annunciasse, præter Irenæum, Tertullianum, Eusebium, testes alij omnium ætatum gentiumque locupletissimi tradiderunt) cum vniuersi

Iren. lib. 3. adu. hæres. Tert. lib. 4 contra Marcion. Bellarm. li. 2. controu. 3. de Rom. Pont. Baron. Anno Christi 44. & seqq. Marian. Scotus in Chron. Fran. Guil. in Ep. Arg. cap. 6.

uersi terrarum Orbis ad Christi notitiam traducendi desiderio flagraret, tum florentissimos Germaniç Galliæq; populos ad vigiliarum & prouidentiæ suæ partem ratus est pertinere; quo videlicet nationes spectata virorum, armorumque potentia celebres, & Romanis institutis ad summam belli pacisque disciplinam indies efflorescentes, è crudeli Satanæ imperio ereptas Christianis demum Sacris adgregaret. Dimissis itaque in varias terrarum oras quoquouersum Sacrosanctis Euangelij Præconibus, tres præstanti virtute atq; innocentia viros, Eucharium, Valerium, & Maternum, quos vitæ sanctimonia doctrinaque probatissimos cognouerat, in Germaniam, & Galliam Belgicam iubet proficisci, eosdemque pari amplificādæ Religionis ardore & Apostolico spiritu plenos, impositione manuum, Eucharium Episcopum, (quem in cōtubernio Christi iam olim cum cæteris Apostolis versatum, & septuaginta duûm Christi discipulorum Ordini insertum, tum in suo Marianus Scotus, tum in aliis Chronicis vetera monumenta prodiderunt) Valerium Diaconum, Subdiaconum vero Maternum instituit, & consecrauit. His ergo ad destinatam prouinciam iter facientibus, cum non sine verbi Diuini præconio, & multorum parta salute superatis Alpibus, ad Tribocorum, hoc est, nostrorum Alsatarum fines peruenissent; Maternus febriū æstu, prostratus morbi magnitudine, apud Elegiæ castellum, vt antiqui Scriptores appellant, siue Ellum, Hellumue, vt recentiores, vita functus occubuit. Peruetus autem Tribocorum in Elli seu Illæ fluminis ripa, & Romana antiquitate, & religione Christiana visendus monstratur; quem vereor, vt minus aptè, ab elegis dictum, ob lamenta & fletus in S. Materni morte isthic profusos, nonnemo posteris probare conetur. Hoc porro tam acerbo casu, Eucharius & Valerius Roma-

Iaco VVimphel in prolego Episc. Argent.

num

num iter relegentes, amissum laboris socium Principi Apostolorum mœsti dolentesq; renunciant. Simulque admonent, cum maiore negocio præsidioque nunc quidem opus sit; aliud consilium, cælestemque de integro sese opem à Magistro expectare. Petrus qua in Deum erat fiducia, paucis mœstos consolatus, eorum animos egregiè sustentat, simulque non citra singularem Dei Opt. Max. prouidentiam Maternum rebus humanis ereptum ostendit; quin ad ipsos istud etiam negocii pertinere, quo videlicet inter rudes gentes miraculo quopiam insigni magis magisque Christi Liberatoris gloria elucescat. durarent igitur, tamque salutaribus cœptis fortiter insisterent, mortuum in vitam reuocatum iri, vt qui non extinctus, sed velut somno quodam iustorum ad tempus consopitus teneatur. Ad hæc baculum, quo tamquam Summi Pastoris insigni vtebatur, tradit, monetque fusis ad Deum precibus in nomine Christi surgere præcipiant, procul dubio quem reuiuiscere cupiant, Christi virtute continuo resurrecturum. Quadraginta omnino dies consentit vetus historia præterfluxisse, cum defuncti corpus humatum fuerat, vti tabidum existere tunc, ac pæne corruptum nulla dubitatio teneret. veruntamen illis fide in Deum firma constanter nitentibus, vbi repetito itineris labore ad locum, quem diximus peruenerunt, quod futurum prædixerat Apostolus, illud felici euentu præclarè respõdit. nam vi quadam genitali diuinitus per baculum affusa, Maternus ad Imperium Magistri velut in vitam renascens, multis cernentibus consurrexit; qui miraculi nouitate attoniti, & lustrati sacro Baptismatis fonte, ad Christum conuersi sunt. Estque incredibile, quantum ea res nascenti tum primum apud Alsatas, & circumiacentes populos Ecclesiæ contulerit. nam eius fama per finitimos longe lateque increbrescente, magni ad Sanctos omnis sexus ætatisque hominum vndique concursus extiterunt;

 terunt;

terunt; qui haud grauatè se in Christi Sacra reciperent.
Harig. Ab. Lobiens. cap.5.6,& seqq. Basilicam quoq; narrat Harigerus Lobiensis Abbas, qui sub Ottone III. ætatem degit, Resurrectionis nomine, loco illo, quo Maternus ad vitā reuocatus fuerat, à Christianis exstructam atque dedicatam; cuius ad præsentem memoriam in Alsatiis Tuis, SERENISSIME PRINCEPS, certa vestigia, conuenarum Religione, & votiua peregrinatione quondam contrita supersunt. Ergo non immerito Alsatæ Tribocorum posteri Christianæ Religionis incunabula Beato Materno adscribunt, quem magna gratia gloriaque tanti beneficii, Apostolum suum & Principem fidei salutisque suæ solent venerari. Et vero qui huiusce Ecclesiæ res gestas prosequuntur, maiorū literis ac voce tradunt S.Maternum nō modo inani Deorum superstitione hanc gentē liberasse, sed magnis etiam & illustribus claruisse miraculis, erexisse complures multa veneratione, Apostoli Petri titulo & nomine insignes Ecclesias, ex quibus ad hanc ætatem veterrimæ memoriæ perdurasse creditum est Argentorati B. PETRI, quem vocant, Senioris, ad alterius multis annis post ab Guilielmo Antistite conditi discrimen; ab eodem sua quoq; primordia Sacrum Ascetarum D.Benedicti Ebersheim Monasterium repetit, estq; in conspectu Molshemensis Oppidi vetustissimi operis quæ Latine Domus Petri,
Fr.Guilim. in Episc. Argent. vulgo Dompeter appellata est; quæq; DD.Petrum ac Maternum tutelares agnoscit: hodieque frequenti concursu, ac spe non irrita remediorum, quæ febricitantibus quæri & obtineri solent, rara pietate coli ac frequentari videmus. Sarcophagus ibi Romani operis expositus visitur ad sinistrum ingredientis latus, in quo conditas olim S.Petronillæ reliquias populo persuasum est. cuius etiam Sacra Lipsana cum Zona loculo eleuatiore ad dextram eiusdem templi in choro asseruata narrant pagani; quæ
effe-

efferatus pronuper hæreticorum furor Sacra omnia nil pensi habens, sacrilegè dissipauit. Cæterum ex contactu reliquiarum vim saxo credunt adhæsisse, estque expertæ virtutis, eum qui impositus post febres dulci somno deuictus iacuisset, expergefactum febrem excutere. Certe siquid coniectura hic loci habeat, crediderim pios Alsatarum maiores, quod D. Petro suæ fidei ac salutis primordia deberent, olim ex Vrbe Roma Sacras illas D. Petronillæ Socrus exuuias, in hasce oras adportasse. interim haud leue antiquitatis argumentum habet nō modo Baptisterium medio templo collocatum; sed etiam Sarcophagi inscriptio, quæ est eiusmodi; MEMORIÆ TERENTIÆ AVGVSTINÆ CONIVGI SANCTISSIMÆ IVSTVS IVSTINVS MARITVS EIVS TITVS OCEANVS ET FLORIDA MATRI PIENTISSIMÆ. His ita gestis læti auctiq; socio iam rediuiuo Sancti, magnis animis ausisque pergunt cis Rheni limitem Euangelii lumen populis inferre. multisque rebus admirandis supra mortalitatem editis, vineam Domini in omnem partem propagarunt; & tandem magnis Christi gloriæ inter homines augendæ, laboribus susceptis, Treuirim demum, cuius id temporis ob insignem bellicæ domesticæque laudis gloriam summa apud omnes erat existimatio, anno Pontificatus Apostolorum Principis Petri octauo, Claudii Aug. nono, nascentis Christi quinquagesimo delati sunt. Sane vero, nisi Methodio, cæterisque vetustissimis vicinarum Ecclesiarum membranis fidem abrogamus, ipsos quadraginta annos Maternum deinde Treuirorū Ecclesiam administrasse, totque annos Sacerdotali munere perfunctum, constans assertio est, quot diebus supra meminimus in sepulcro iacuisse. quare non Treuirorum sese finibus duntaxat Materni cura industriaque cohiberi passa est; sed ad Nemetes, Vangiones, & Tribocos nostros, quos per interualla inuisit, inde ad Agrippinensem Coloniam,

Germaniam quoque Ripensem vltra Tungros & Eburones nomen Christianum protulit, tandemque Arduenna silua peragrata, irremisso, qualem Episcopum decebat, sudore implexa falsissimarum opinionum dumeta excîdit. Et cum trium Ecclesiarum, Treuirensis, Agrippinatis, & Tungrensis difficilem sanè prouinciam sustineret, accidisse memorant, (id quod non minus conditionem corporum, quam naturæ facultatem excedit) vt ipsa Natalis Domini Sacratissima nocte, ipsaque Paschali die, ductore Angelo, tribus hisce inter se quam longissimè dissitis locis, Treuiris scilicet, Coloniæ Agrippinæ, & Tungris immaculati Agni cælestem hostiam præpotenti Deo ad aram Sacerdotali ritu sacrificarit. Verum vt nihil humanis in rebus æquabili statu sic vndiq; munitur, vt non vel temporum iniuria, vel malitia hominũ in deteriora prolabente, quod rite constitutum est, quandoque vacillet; sic & Alsatæ nostri partim tyrannorum rabie fœdissimis persecutionibus Ecclesiarum capita demetentium, partim etiam contagio vicinorum, in pristinam veri Numinis ignorationem prolapsi sunt. donec Childebertus Sigeberti Regis Francorum Filius & hæres vnicus, Regiam Argentorati anno regni quartodecimo incoleret, qui autore, Gregorio Turonico, *sicut magnæ Lampadis splendor in tetra obscuritate, ita fidei claritate inter obscuram aliarum gentium perfidiam emicans,* multarum virtutum ornamentis; sed inprimis Religione Alsaticum nouale repararet; quod tamen morte immatura, ita vti reliquerat, haud omnino excultum Theodeberto & Theodorico Filiis cessit, donec inexpiabili odio atq; simultate distrahente fraternos animos, non antea ciuilibus bellis desitum est, quam Theodebertus regno paterno, quod septemdecim annos vario ingenio & ad vitia quam virtutem procliuiore gubernarat, vitaq; simul

AEgid. in Gestu Leod. & Tung. Episc.

Grego. Tur. lib. 9. c. 3.

Greg. l. c. c. 37. & 38.

mūl hostiliter exueretur. atque ita Sobole Childeberti Regia dignitate spoliata, Clotharius trium regnorum ex asse factus hæres, totum sese motibus Austrasiæ, in cuius partem Alsatia nostra id temporis concesserat, componendis tradidit; cuius tandē præclarissimis studiis ad pacē denuò & gloriam efflorescere cœpit. Porro Clothario Regi Bertrudis iuncta excellenti virtute fœmina DAGOBERTVM peperit, qui quemadmodum Religionis cultu & maximarum virtutum fama, primum quidem Amando, postea vero Arbogasto præstanti sanctitate Præsulibus Alsatiorum rempubl. opibus cumularit, partim iam supra commemorauimus, partim haud multo post cum debita virtutum commendatione percensendum erit. Vna nobis Argentina in exemplo sit, quæ dum veræ & Orthodoxæ fidei bono frueretur, prçter Cathedralem primariam, quaterna Canonicorum Collegia, totidemque Parœcias, septena virûm Cœnobia, vndecim Parthenonas numerabat. At heu! quibus in locis vberes quondam oleas, plenam messem, graues pomis arbores, quin & lilia, & suaueolentes rosas cælestis Agricultor spectabat, hic legibus & iure reclamantibus, veteri sublata disciplina iam vitiosas lappas, tribulosque, & steriles auenas, precio culturæ pœnitendo, videas prouenire. Sed hic denuo modus querelarum esto, præsertim quia maiorem Tuæ Diœceseos partem à furiosis Islebii monstri dogmatis Deus singulari beneficio immunem indemnemque Episcopali curæ Tuæ industriæque reseruauit; quod cum aliàs, tum anno proximè superiore perspeximus, quando Iubilæi sæcularis fructum, quem tum PAVLVS V. Orbi Christiano amplissimum obtulerat, in Tuam quoque Ditionem eiusdem Pontificis assensu atque approbatione deriuasti. quç cœlestis muneris largitas, quo è diuinis Christi thesauris

Frāc. Guilim. l.c.

IVBILAEVM Catholicū Diœc. Arg. in Augusto.

largiùs affluerct, edito in lucem diplomate parænetico, Curionibus, & Cleri primoribus hanc rem inprimis commendatam esse voluisti, & Augustioribus Ecclesiæ Tuæ Diœcesanæ oppidis, per mensem Augustum stationes, ieiunia, precesque more maiorum indixisti; ipse vero, die Virgini ad cœlos Assumptæ consecrato, in primaria huius Vrbis Ecclesia cærimoniâ rituque solemni vnâ cum lectissimâ Generosorum Amplissimi Collegij Procerum, Satraparum item, ac Nobilitatis Coronâ, magnâ ciuium, oppidanorum, & omnis ordinis hominum affluentium frequentiâ, cæteris exemplo præluxisti. Sit igitur sua Indis gloriatio, maturius se ab Sole illustratos, quem etiam sibi propinquiorem asserebant; ideoque cæteris nationibus se meritò antestare; Alsatarũ gloria & verior est, & augustior, in Germanicâ natione primos omnium ad veram fidei lucem respexisse; efferant etiam se Arcades, quod Lunam sibi cognatam esse vanâ opinione crederent, cuius & figuram calceis ipsis præferebant: maius quiddam Alsâtijs debetur, qui præter Solis, id est, fidei Veræ purissimum lumẽ, nunc etiam Tuo beneficio hanc Lunam, hoc est, Sapientiæ facem intra viscera sua receperunt, neque ipsam calceis, sed animis penitissimè impressam, non ostentationis, at diuinæ gloriæ caussâ, quaquauersum proferre conabuntur. Tibi vero sempiternam illius facti memoriam debebunt, quod geminis istis luminaribus conseruandis fouendisque hac Academiâ conditâ orbem Alsaticum reddideris illustriorem. Et sunt hæc quidem ita solida internæ felicitatis bona, vt si cum externis, quæ vulgo in bonis haberi solẽt, coniungantur, ne in comparationem quidem venire debeant. quamquam dum ad veteres fastos animum vel modicè aduerto, nihil equidem cõperior exteræ claritudinis, quam potentissimi quique Regum aut Imperato-

rum siue hospitio, siue beneficentiâ suâ adferre solent, in nostrâ hac Alsatiâ potuisse desiderari.

CAPVT III.

ALSATIAM QVONDAM AB IMPP. ET REGIBVS FREQVENTATAM, variisq; beneficiis cumulatam fuisse.

QVID enim Soli omnium siderum Principi ac moderatori par magis vel secundum, quam Principes illi, quorum curâ quando,

----- sicut cælestia semper
Inconcussa suo gyrantur sidera motu;

ita populi florent, fas viget; magna vbique aduentu eorum lætitiæ seges redundat; dum sese custodes patriæ, non tyrannos, domus hospites non expilatores, neque tam dominos quam Parentes ditione sua tectoque recipere gratulantur: quibus hæc antiquissima sedeat cura, subditorum libertatem, patriam, fortunas, adeoque salutem armis, & si necessum foret, etiam vitæ oppositu protegere, eorum commodis atque vtilitati publicè consultum velle; res iniuria temporum prolapsas erigere, cunctas denique prouinciæ regniue partes ea iustitiæ atque integritatis fama retinere, qua retinendæ ab iis fuerant, quibus imperium olim ita dabatur, vt quandoque se redituros esse cogitarent. Hinc illa tot publicæ lætitiæ monumenta, tamquæ festiuæ supplicum populorum acclamationes, quibus serum & florens imperium, domum sospitem, exercitus fortes, fidelem Senatum, probum populum, remp. incolumem, orbem quietum non in Capitoliis modò, verum & in vicis & castris comprecabantur. Nec defuit hęc laus Alsatię Tuę, SERENISSIME PRINCEPS,

CEPS, vti quam velut centrum quoddam & totius Germaniæ Metropolim, tot Impp. Regumque non tam præsentia, quam munifica liberalitate beneuolentiaq; constat esse decoratam. Itaque ne in tragica vltro me præcipitem; nolo commemorare regnatam Ariouisto veterem Alsatiam, nolo ab Iulio Cæsare depressam armis & in seruitutem redactam, nolo eandem cum vniuersa demum Germania ita bellis attritam referre, vt Valerius Probus apud Flau. Vopiscum gloriari non erubuerit, diuersarum gentium Reges ad pedes suos supplicabundos iacuisse, quadraginta hostium millia cæsa, sedecim armatorum millia in deditionem accepta, septuaginta deniq; Vrbes Nobilissimas nexui mancipioq; addictas, militum prædæ cessisse. nolo Caracallas, Iulianos, cæteraq; id genus hominum vel crudelitatis vel apostasię probra commemorare, qui non honori sed horrori fuerunt, quique metum & vastitatem potius, quam lætitiam aut dignitatem, quoquo diuerterent, circumferebant, prout Alsatia experimento suo tum vidit & ingemuit; quando ad sexaginta hominũ millia proximè Argentoratum fusa sunt, totidemque in proximum Rheni amnem præcipitata, vt fluctibus haurirentur; vt hominum acerui montium similes, teste Aurelio, fluminum more fluerent, & Alsaticus limes totus pœne sanguine inundans Romanæ possessioni dederetur. eos duntaxat velut per Synopsin adducere animus est, qui Christianis Sacris imbuti ita peragrarunt Alsatiam, vt in iis cognosceret Saturnia quędam, id est, aurea sæcula reuixisse, quibus, vt perhibent, Dii ipsi ad hominum familiaritatem quandam vltro sese demiserunt. Merito autem ab Fl. Aur. CONSTANTINO MAGNO Christiani Imperii, vt Augustinus loquitur, Christianissimo Principe, & vt Ambrosius, Augustæ memoriæ maximique exempli Cæsare ordiar; qui vna cum Filio Fl. Crispo Cęsare, Roma per Alsatiam Treuiros iter capes-

Vopisc. in Probo. an. Christi 277.

Amm. l. 17. Eutr. li. 10. Sext. Aur. in Const. Auson. in Mosella.

Lib. 1. Instit. ad Constãt.

CONSTANTINVS M. IMP.

capessiit. vbi & Lactantium Firmianum D. Hieronymo attestante, extrema senectute Magistrum habuit; vt is vna cum eloquentiæ lacte, qua vel maximè claruit, Christianæ Religionis & omnium virtutum ornamenta in nobile Cæsaris pectus instillaret. Anno deinde CCC. LV. Arbelione & Lolliano Coss. tristissima erat Germaniæ vtriusque facies, non modo quod Ecclesiæ vigilantissima Pastorū cura, quos Præsidum vis tyrannica sedibus suis eiecerat, viduatæ iacerent; sed etiam quod barbaris subita incursione quadraginta velut momento vrbes depopulantibus, miserum in modo vexaretur; iissetque pessum, ni Constantius Cōstantini Filius in tempore subuenisset. Sæculo deinde sequente CLODOVÆVS Francorū Rex (quem & Luduinum & Hloduicum vetustior ætas appellauit) notissimo illo Ecclesiasticis annalibus prælio, quod pacem Franciæ, quietem Austrasiæ Alsatiæque, ipsi demum Regi salutem fidemque attulit, quo memorabilem Victoriam Tolbiacam Coloniam inter & Marcodurum diuinitus reportauit, rerum gestarū magnitudine & gloria plenus, triumphantis pompa in Alsatiam, & Argentoratum reuertit. Quid CLOTHARIVM Regem eloquar, qui post Theodericum, Childeberti multarum virtutum ornamentis, sed religione vel inprimis exculta spectati Principis Filium, nullaq; alia sobole resistente, cum trium amplissimorum regnorum hæres esset, Alsatiæ tamen capitali fratrum odio superioribus annis distractæ, redintegrandæ ornandæq; se quam maximè dedidit. Quam laudem Clotharii Filius DAGOBERTVS, quem Episcopatus Argentinensis Conditorem plerique faciunt, egregie cumulauit, vt qui, Sigeberto teste, sub annū DC. XXXIII. à Clothario Patre in Austrasiæ regnum Alsatiæque ditionem immissus, eam cum florentissima gubernatione, maximam partem in Alsatia & Rubeaquis degens; tum vero Arce Dagsteiniana, suo illi nomine impertito exornauit;

Hierōn. in catal. Scriptor. Ecclesſ. cap. 80.

Euseb. Vercellens. & Baro. to. 3.

CLODOVAEVS REX FR.

LOTHARIVS.

Greg. Tur. append. ca. 37. & 38. Aimon. li. 3 cap. 91. & seqq. Sigeb. Chr. Vinc. li. 24 spec hist.

DAGOBERTVS.

Paul. Aemil. lib. 1. Frā. Guilim. in Episc. Argent.

uit; vt non repetam donaria illa primis huius Dioeceseos Præsulibus liberalissimè impensa, quæ hodieq; apud Alsatas in amplissimis Dagoberti Regis laudib. reponuntur. CAROLVS vero MARTELLVS quam non Alsatiæ ornatæ commemorationem promeruit? ex quo post victoriam contra Saracenos ad Garumnam flumen insigni Dei beneficio reportatã, vbi in vnius prelii congressu trecenta hostium & septuaginta quinq; millia occubuisse Anastasius & Paulus Diaconus asserunt; anno demum octauodecimo sui Principatus, Westrasiæ Austrasiæque gubernandæ curam omnem cogitationemque intendit. quare & iniuriam optimo Antistiti Pirminio per Theobaldum tyrannum illatam aboleuit, & Ottonem supra memoratum Tui Stemmatis Presulem eximiis meritis cumulauit.

CAROLVS MARTELLVS. Anast. in Greg. c. 11. Paul. diac. lib. 6. c. 46.

Quid Caroli Martelli Filius CAROLOMANNVS? qui tum alias, tum vero ab Parentis obitu, cum hanc patriam, velut hæreditatis suæ partem cerneret, ad finitimos Vogesi saltus Nobilissimis Sanctissimisque eremiticæ vitæ ascetis crebro se immiscuit; vt exinde iustè libeat suspicari, eum pulcritudine Religiosæ vitæ captum, eam mentem induisse, qua postea purpuram atq; diadema regium vili ac religioso indumento commutare statuerit. id quod iam diu meditatum animo consilium posteaquam Fratri Pipino aperuisset, anno demũ DCC. XLVI. posito regno, regnique curis in Pipinum reiectis, Romam iter intendens Cœnobiticæ vitę instituto ad Ædem Lateranensem à Pontif. initiatus, primum Soracte, deinde salutationum officiosarum impatiens, Cassinum adiit, inibique arctam D. Benedicti disciplinam pari Orbis admiratione applausuque complexus est.

CAROLOMANNVS.

Quod autem eloquentiæ flumen CAROLVM illum tam non absimilẽ Constantino, quam omnium Scriptorum fama & prædicatione parem, pro meritis efferet, qui sub annũ partæ salutis DCC. LXXVI. obsidibus Saxonum acceptis, posteaquam eos ingẽti strage edi-

CAROLVS MAGNVS.

ge edita, iustisque expeditionibus XXXIII annorum attritos Christiana Sacra suscipere iusserat, victor, & opima præda lætus in Alsatiam reuertit, atque vti anno superiore Maguntiaci, sic hoc, SELESTADII lætitiam infantiæ Christi exegit; quem locum alias etiam per interualla reuisisse tum Rhegino adnotauit, tum vetera per eundem data diplomata loquuntur. Quid OTTO id nominis I. Imp. Magnum atque Augustum Germanici regni decus, qui Ludouicum Franciæ Regem Caroli Simplicis Filium cognomento Transmarinum, spe regni Lothariensis occupandi tumidum, conflato ipse ingenti exercitu, Deo secundante, Alsatarum, quos misere infestauerat, finibus eiecit. indeque in Superiorem Alsatiam mouens, Brisiacum castrum Ottonis oppugnatione hodieque Nobile, pari felicitate expugnauit. iterumq; sub annum DCCCC. LIII. natali Christi Francofurti celebrato, Alsatiam iniit, vt Conradum Lothariensem coniurationis cum Lutolfo Filio aduersus Patrem initę manifestum, Hungarosque in auxilium aduocantem compesceret. Neque indictus abibit HENRICVS II. cognomento Sanctus, qui Bambergensem Diœcesin in Francia Orientali (cui hodie ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS IOANNES GODEFRIDVS ASCHAVSIANÆ STIRPIS ornamentum, Franconiæque totius columen, Collegii Societatis IESV, cum Amplissimo Imperialis Cleri Senatu, ibidem magno bono CONDITOR, hodieque summa bonorum gratulatione WIRCEBVRGENSI Sede auctus, feliciter moderatur) à templis prædiisque opulenter instructam, Episcopali honore sustulit; vt erat ardenti Religionis propagandæ studio inflammatus; WERNERO I. id nominis, & Tui item Sanguinis Episcopo Argentinensi autor fuit, vel certe fautor, vt augustum illud, quod hodieque Argentorati eminet, Templum Deiparæ Virgini excitaret; cumque Argentorati sub id tempus ageret Cæsar, æterna sui nominis

OTTO M. IMP.

S. HENRICVS IMP.

minis & diuini cultus commendatione, Sacerdotium insigniter dotatum eidem Ædi Cathedrali assignauit, cuius hodieque memoria extat, & REGIVM ab eo nominatur. Nec multo post HENRICVS, id nominis IV. prius Argentorati Natalem Domini agitauit, quam Moguntiacum contenderet, vbi Demetrium Russorum Regem obuiam habuit. Annon etiam seculo insequente FRIDERICVS ÆNOBARBVS ex Sueuiæ Duce Rex & Imperator, natalem Christi in Alsatia exegit? inde Noribergam ad conuentum, quem frequentissimum indixerat, schismati inter Alexandrum III. & Victorem abolendo perrexit? cuius Mater Hildegardis Sueuiæ Regina, cum Selestadii vna cum amplissimi quondam iuris Præpositura, (vt vocant) Templum in Sepulcri Dominici formam eductum, Deo sub S. FIDEI titulo per Ottonem Antistitem Argentinatem Filium, solemni ritu dicasset, ipse opibus etiam insigniter locupletauit. Cuius vetustis panchartis prærogatiuæ & iura, Hagenoæ per Imperatorem consignata, & Paschalis Pont. Maximi, tum Ottonis Fratris Germani, Argentinensis Præsulis autoritate firmata, ac VII. Cœnobiarcharum signis munita hodieq; leguntur. quæ deinde consequentibus sæculis inter Pontif. Maximos Gregorius IX. Laterani, Sixtus IV. apud S. Petrũ, Pius III. apud S. Sixtum, Apostolicis, at vero inter Augg. Cæsares Guilielmus Wormatiæ, Carolus IV. Basileæ, Sigismundus Argentinæ, Cæsareis regiisque diplomatis luculenter roborarunt. & prostitisse suo tempore inibi in vitrearum fenestrarum margine eiusmodi veteris beneficii mnemosynon programma, Beatus Rhenanus contestatur;

HENRICVS IV.

FRIDERICVS BARBAROSSA.

TEMPORE QVO REDIIT SVPERATIS MEDIOLANIS,
NOS REX ROMANVS FIERI IVSSIT FRIDERICVS.

Anno

ANNO M. CXCIIX. OTTO IV. Henrici Leonis F. potiore suffragiorum VIIuiralium numero Augustali fastigio admotus, Philippū Sueuiæ Ducem Henrici V. Fratrem Imperium ambientem, superamque Germaniam armis occupantem oppressurus in Alsatiam venit. & hoste tandem interempto Hagenoæ Beatricem Philippi Regis Filiam sibi desponsam excipiens, LEOPOLDI Tuæ SERENISSIMÆ Domus, studio, in Comitiis Augustalibus Wirceburgi indictis, Hugone Ostiensi & Leone Cardinalibus in rem præsentem venientibus, Sacro coniugii vinculo sibi deuinxit. Eodemque Ottone ab Innocentio III. ob vastitates & incendia Italiæ allata diro anathemate multato, FRIDERICVS II. ex Sciciliæ Rege Cæsar dictus, & Sacro vnguento Romæ delibutus, obliquis itineribus è valle Tridentina in Rhætiam descensum attentans, & propensis Principum studiis acceptus, Alsatiam & ipse penetrauit, ibidemq; firmo sibi exercitu comparato, Henrico Argentinense Antistite strenuam illi operam opemque nauante multa oppida variè communiuit. tantisque rerum initiis bene auspicatis imperii fasces capessiit. Quantum vero hoc beneficium fuit, quo RVDOLPHVS I. è Domo Habsburgi-Austriaca Imperator, post honores regios à Gregorio X. in Lugdunensi Concilio confirmatos, post rebellem Burgundionum Comitem subactum, post coniuratos partim exilio & relegatione multatos, partim capite imminutos, Alsatiæ demum vtrique pacem, & optatissimam ab diuturnis bellorum fluctibus malaciam peperit? Cuius etiam inter alia benefacta, diploma Hagenoæ Anno CIↃ CC. LXXXI. datum in manibus habetur, vbi Selestadianos Augusti iuris esse sanciuit; nec illius prærogatiuæ immemor S. P. Q. Selestadianus eum posteris vna cum Friderico II. Aug. sincerioris ac veræ libertatis vindicem, inclytum Patronum, & verum Patriæ Parentem publico monimēto

OTTO IV. IMP.

FRIDERICVS II.

RODOLPHVS I.

HENRICVS VII. cōmendauit. Rudolphū ex Augustis in Alsatia peragranda subsecutus est HENRICVS id nominis VII. Cæsar, qui festo die exaltatæ Crucis Augustę Treuirorum transacto, rectà inde in ALSATIÆ TABERNAS, Tuum hodie frequens domicilium, tetendit, indeque Hagenoam deflectens, magnificentissimo Septemuirûm occursu acceptus, vna cum Elizabetha Bohemiæ Regina ad Sacram inaugurationis pompam die S. Matthęo Euangelistæ dicato peragendam, in Bohemiam perrexit. Nec ab Alsatis augustam suam præsentiam diu passus est desiderari CAROLVS IV. CAROLVS IV. Rom. Imp. qui è Cressiacensi pugna in finibus Ambianorum, vbi Ioannes Bohemorum Rex Caroli parens occubuerat, magna procerum & nobilitatis corona redux, Alsatiam transiit, indeque per Sueuos in Bohemiam magno gentis illius studio & gratulatione FRIDERICVS IV. diadema sumpsit. Nec abfuit FRIDERICVS IV. id nominis, dum celeberrimum seu laboranti reip. adiutandæ, siue aliis negociis agitādis conuentum Treuiros indixit, qui Principum tota Europa florentissimorum congressu habitus, variis etiam literis & exterarum gentium prædicatione augustissimus extitit. Ergo Friburgo Brisgoiæ per Alsatas nostros, & inde Rheno secundo Maguntiacum descendens, primum quidem in Mediomatrices, at- MAXIMILIANVS I. que exinde, his relictis, Treuiros petiit. Anno item M.D.V. MAXIMILIANVS I. Hagenoæ Ludouicum Galliarum Regem Insubrum nomine in clientelam acceperat. Postea etiam, cum Sacræ inaugurationi, quam Guilhelmo ex illustri Honsteiniorum prosapia Ernestus Saxoniæ Dux & Magdeburgensium Antistes Germaniæque Primas impenderat, coram adfuisset; eidem Hagenoæ feria tertia post Dominicam, quam Lætare vocant, FERDINANDVS I. regalia concessit. Denique anno quadragesimo sæculi superioris, FERDINANDVS Rex Hispaniarum, qui per Luxemburgios ad Carolum V. fratrem ex Hispania reducen-

ducendum excurrerat, & adulto vere, cum Treuiris Hagenoam deueniſſet, poſt tot ancipites ſeditionũ in Germania caſus, mutuas agrorum depopulationes, & malè ſæpius nexa ſæpiuſque reciſa concordiæ vincula, tandem ad diem xxv. Iunij iactis conſilij fundamentis, cum aliis IVuiris tamquam diſſidiorum & controuerſiarum minuendarum arbitris, ſimulq; ad Lutheri heterodoxiam opprimendam, Guilhelmus Argentinenſium Præſul deſtinatus eſt. qua re nequidquam Hagenoæ tractata, Wormatiam denique ad duodetrigeſimum Octobris ſolemnis Procerum conuentus indictus eſt. Efferant itaque ſeſe cæteræ Germaniarum vel plagæ, vel vrbes, Romanorum Cæſarũ ſiue rebus ſua in ditione geſtis, ſiue tumulis, quibus vita functorum corpora ſuſceperunt, vt C. Caligulæ Cæſaris natali ſolo & Valentiniani ſepulcro Antennacum, Druſi Germanici monumento Maguntiacum, M. Agrippæ atque Agrippinæ fauore & beneuolentia Vbij, Iulij Cæſaris domicilio Iuliacum apud Menapios; habet Alſatia Tua, SERENISSIME PRINCEPS, toties per Cæſares ac Reges obita, tot patrociniis defenſa, munita prærogatiuis, donis beneficiiſque cumulata, tot exornata inſignibus, in quo præ aliis glorietur. Quod ſi Nauarchum illum in mediis tempeſtatum fluctibus deprehenſum, & iam timidiuſculè remigio inſiſtentem Iulius Cęſar, (quem vna cum militibus qui Brundiſij ſubſtiterant, vehebat) ſuo alloquio confidere iuſſit, quod fortunam Cæſaris veheret; atque ita egregiè animauit, vt iam ſpei plenus non inimica ventorum flabra exhorreſceret, non aquarum montes, nõ mare tempeſtuoſum reformidaret; quin aduerſus hæc omnia fortius remigio inſiſteret; quid non fiduciæ bonique ominis concipiamus de illâ regione, quam tot Cæſares & Imperij principes Auguſtâ ſuâ præſentia & claritudine, velut tutelaria

quæ-

quædam ſidera, dextrique Caſtores illuſtrarunt? maximè vero, quia Tuo, SERENISSIME PRINCEPS, auſpicio hæc omnia geruntur, qui Auguſtis Cæſaribus ortus de illa gente es, ex qua conſentientibus humani generis ſuffragiis, tot Orbi terrarum Imperatores Præfecti ſunt, qui Solis more irrequieti, omnium ſomnos ſua vigilia, omnium ocia ſuis occupationibus, omnium quietem ac felicitatem publicam ſua cura induſtriaque reſarciuerunt; quibus cum ad laborum precium conſcientia ſufficeret, nihilo tamen minus tot ſtatuas triumphales, tot tamque auguſta Doctorum hominum elogia, ſumptuoſiſſima mauſolæa, clariſſimos honorum titulos, celeberrimos glorioſiſſimosq; triumphos promeruerunt; quorum benefacta hodieque omnium ore & calamis ad vſq; ſeram poſteritatem perdurant. in quib. tamen illud ſemper principem locum obtinuiſſe adnotatum eſt, quod nihil illis antiquius fuerit, quam excitare literas, eo ſanè ſucceſſu, vt earundem diſciplinæ, quæ ſub Abauo Tuo MAXIMILIANO I. ſpiritum & vitalitatem, ſub Auo FERDINANDO I. valetudinem, ſub magno Patruo CAROLO V. colorem & ſanguinem, ſub Patruo MAXIMILIANO II. patriam; ſub Patruele RVDOLPHO II. dignitatem conſecutæ ſunt; Tuis demum fortunatiſſimis auſpiciis, ſub MATTHIA CÆSARE in hanc Coloniam deductæ; tantum incrementi & allaturæ Alſatis, & ab iisdem accepturæ videantur, vt nihil earum felicitati accedere poſſit, niſi vt Deus illis addat perpetuitatem.

CA-

ALSATAE, QVI MORVM INNOCENTIA, VITAEQVE SANCTITATE, & admirandis prodigiis patriam illustrarunt.

QVANDO vero nobis hãc ipſam iure merito ex natiua etiam ALSATIORVM indole ad omnem humanitatem pietatemq; aptiſſima deſpõdemus, age videamus, SERENISSIME PRINCEPS; an non ex hac Tua ditione complures ſanctitate & doctrina eminentes prodierint, qui non patriam modô, ſed vniuerſam etiam Eccleſiam inſigniter exornarunt. & erat quidem ius fasq; Alſatiæ decora ab iis auſpicari, vti quondam Cenſores luſtrum ab fauſtis ominibus, boni & felicis auſpicii gratia. Cæterum inter multiplices ſponte influentes rerum humanarum caſus, etiam illam cladem deploramus, quam publicis ſcriptorum monumentis, & virtutum omnium memoriæ tot tamque horribiles bellorum impetus Alſaticis rebus intulerunt; ſine quibus eſſet, egregia ſane mihi ſuppeterent virtutum ornamenta, quę viri ſanctitate vitæ, & doctrinarum opibus inſtructiſſimi patriæ huic reliquerunt; quæ nunc quidem dolemus in ſummis veterum autorum anguſtiis & magnis hiſtoriarum tenebris non in ea, qua optãdum eſſet, luce à nobis collocari. dabo tamen vel ex his ipſis literarum parietinis, viros Alſatia oriundos, qui morum integritate, vitæ ſactimonia, rerum ciuilium vſu, contemptu humanarum, cæleſtium deſiderio, laboribus pro Eccleſia exantlandis, librisque ad eam defendendam propagandamq; conſcriptis inſignes, ita floruerunt, vt cum maximis etiam ſanctiſſimisque poſſint comparari. Atque vt illos orationis compendio intermittam, qui cum alibi vel nati ſint, vel vixerint, ſuis tamen partim admirandis facinoribus, partim Lipſanis Sacro-

sanctis fulgentissimam Alsatiæ facem alluxerunt, Maternum Orthodoxæ fidei ad has oras importatæ antesignanum, Amandum, Arbogastum, Florentium eiusdem reparandæ Triumuiros iam pridem cælo adscriptos, Cælestem II. Mediomatricum Præsulem S. Mauri ditionis Alsaticæ D. Benedicti legibus hodieq; adstricti sanctissimum Conditorem, SS. Carilætum & Ingobertum coniugio virtutum parique studio Religionis Germanos, Aldouicum Haugiensem, Drogonem Caroli M. Filium, Arnulphum Mediomatricum Præsulem, Adolphum item Nouiuillariensem, Pirminios, Alberones, alios; qui maximam partem Alsatiæ nostræ vicinam Vogesi montis eremum insederunt, vt fuerit præclarum olim de Alsatis nostris, & vastis Vogesi rupibus Eberwini Abbatis elogium; Sanctissimos quosque viros e variis locis (& quidem maximè S. Hildulpho duce ex Treuirorum vrbe) vasta eremi appetentes, secretam inibi & arduam vitā duxisse. At dum eos dumtaxat referre molior, quibus natale solum Alsatia præbuit, ecce Tibi amplissimos campos Diuorum cœlo assertorum, qui ATTICONIS stirpe sati sunt, ingredior, cui multa vetustis membranis adscribuntur, quæ in Vestram deinde familiam ditionemq; SERENISSIME PRINCEPS, illustis legib. transierunt. Ex hac enim stirpe par Fratrum sanctitate germanissimorum S. ERCHINOALDVM Maiorem Domus in Neustria; & ADALBALDVM Duacenorum Exarchū Sanctissimum pro Christi gloria Martyrem. Ex hac S. MORANDVM D. Amati consilio, vanitate sæculi abdicata, Cœnobiique Metuilie ab se conditi Religiosissimū Asceram, eiusdemque Sorores ac neptes ALSENDEM, CLOSENDEM, EVSEBIAM virgineo pudore & sanctimonia insignes. Ex hac LEODEGARIVM Heduorum Antistitem, eundemq; oculorum euulsione, mutilatione corporis, & post longin-

DVX ATTICO, al. ETICO.

S. LEODEGARIVS.

longinquas carceris diuexationes capitis supplicio per Ebroinum Tyrannum ob Christi fidem gloriosissimum testem producerem, nisi metu prolixitatis, in compendium mihi contrahenda esset oratio. Sed hic celebris cum primis puellarum ac Virginum in Alsatia flos decusq; OTILIA mihi offertur; quæ ab ortu luminibus destituta, eum ad Hildulphum Treuirorum Archiepiscopum (qui se vna cum Ehrardo fratre Germano Ratisbonensium Præsule, dignitatibus sponte abdicatis ad Vogesi montes, Eremi ac solitudinis amore transtulerat) ab Atticone Alsatiæ Duce & Berswinda parẽtibus adduceretur, submisse postulantibus, vt oculis luci restitutis, filiæ sanitatis munus impertirent. Qui vbi Gentilium inani superstitione puellam magis excæcatam cerneret, oculis mentis prius ornandam duxit, quam corporeis cæcitatem dispelleret. Ergo Christianis imbutam Sacris puellam, & mystico partu renatam, parentibus lumine non oculorum modo, sed animi quoque restituto, in integrum reddidit. Hæc deinde spectatissimi moris atque indolis virginibus sibi associatis, Patris munificentia in præcelsa montis Vogesi rupe, quæ in vrbis huius conspectu ad meridiem cernitur, cui HOHENBERGVM nomen inditum est, Collegium Virginũ, quæ pudicitiam, genus, & opes, & formam Christo consecrarent, ibidem constituit; illudque mirificè diuinis editis prodigiis exornauit. Cuius sepulcrum hodieque crebra indigenarum aduenarumque coitione, præsenti oculorum imbecillium remedio assiduè colitur & frequentatur; visendusq; fons è montis sinu, S. OTILIÆ, vt creditur, virtute profluens, salubri item languentium oculorum amuleto. inferius autem Monasterium Nidermünster/quod alterum erat Otilianæ pietatis monumentum, ruinis suis temporum iniuria hodie obrutum iacet. Qui vero eiusdem D. Otiliæ ex Hugone fratre Alsatię Comite & Ermentrude Coniuge Nepotem S. REMIGIVM

S. OTILIA.

S. REMIGIVS, al. REMEDIVS.

Argentoratensem Episcopum in Alsatiis item oriundum ausim silentio præterire? qui ex Abbate vallis Gregorianæ, Ottoni, quem supra de Tua stirpe laudauimus, in Episcopali functione obeunda subrogatus, indeque Romam profectus, magnisque honoribus acceptus, precioso S. Sophiæ & trium eius Filiarum Fidei, Spei, & Caritatis thesauro donatus est, quem Parthenoni in Aſſchaw hæreditario fundo ad Illum fluuium ab se constructo dedicatoq; intulit. multa de eximiis huius vitæ actionibus tradidêre, coluisse virtutes omnes dignas homine qui Christi militiæ & Sacro Sacerdotio esset desponsus, dies noctesq; precandi ardorem, promptam & omnibus obuiam benignè faciendi voluntatem, refugisse quæ prima ducunt cæteri mortales, itaque sanctè conquieuisse, vt omnium sententia non tam erepta illi vita, quam donata melior esse videretur. nec minorem Alsatiæ lucem attulit is qui postea in Cœlitum apotheosin relatus est, BRVNO Patre natus Vlrico, Hugone Auo, Dagsburgensibus & Egishemii Comitibus, Conradi Salici Imp. & postea Ducum Zeringię prosapia, & Helwide Matre item Alsata. qui à pueris summa Parentum voluntate in Tullensis Ecclesiæ gremio à Bertoldo Antistite educatus, Adelberonem Gozilonis Ducis Germanum, Friderici Mosellanici Principis Filium pueritiæ suæ habuit institutorem, quem autor vitæ ab ipsis Christiani tyrocinii rudimentis perfectorum perfectissimum habitum cõmeminit. Hic deinde Hermanno Agrippinense vita mortali subducto, Clero populoque expetente, & laudante Conrado Rege, Tullensium Antistes salutatus, anno deinde M. XXVI. Wormatiæ apud Vangiones Popponis Treuirorum Archiepiscopi è stirpe Austria manu consecratus est, ac tandem sub annum M. XLIX. Pontif. Max. ab Henrico II. designatus, Romamque missus summis isthic honoribus acceptus, & per verni ieiunii dies LEONIS IX. nomine adsumpto,

S. BRVNO ex Tull. Antistite Pōt. Max. d. LEO IX.

ſumpto, ſolemni ritu inungitur. fuit beneficentia in egenos & cultu hoſpitalitatis tam commemorabilis, vt inter pauperum greges quotidie fores ſuas obſidentium, Chriſtum leproſi ſpecie recipere meruerit. Conciliis, vt quis alius Pontifex, Italiam, Germaniam, Galliamque illuſtrauit. Berengarii errores & Græcorum damnauit, diſciplinam Eccleſiæ, caſtigato Cleri luxu & expugnata Simoniaca hęreſi, egregiè ſanciuit, multa prę-clara pietatis & domeſticæ virtutis, quæ tum publicis annalium monimentis, tum à familiari eius vitæ Scriptore prodita ſunt, viuus & mortuus documēta reliquit. Humbertum Monachum Tullenſem propter excellentis doctrinæ famam, Sigeberto teſte, Romam traduxit, & Cardinalis atq; Epiſcopi Siluę Candidę honoribus affectum, Conſtantinopolim ad abſtergendam à Græcis de Azymo pane fidei labem, ire iuſſit; vbi audiente Conſtantino Imperatore, tanto ingenii & ſpiritus inuicti robore aduerſarium proſtrauit, vt errores ſuos ſponte deteſtatus, noxios libros errorum ſeminaria ferali flammę ipſemet ſubiecerit. Sedit autem Leo noſter rerum geſtarum magnitudine & ſanctitatis opinione clarus, annos v. menſes II. dies IIX. coliturque publica Religione Tullenſibus ad XIX. Aprilis. nec minus ſcriptorum quam geſtorum monumētis excelluit, nam de extinguendis hæreſibus ad Conſtantinum monachum Imp. ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, & aduerſus Græcorum errores, ad Aſiæ Ægyptique Antiſtites variorum voluminum commentationes elucubrauit. An non igitur merito felix nobis hæc Alſatica natio videri debet, SERENISSIME PRINCEPS, ex qua tam illuſtria Eccleſiæ totius lumina prodierunt? quam non iſta nobis ſpem fiduciamq; præſtabunt, imo quos non ſtimulos ſubiicient? dum cogitamus fore, vt illis patrocinantibus, & vero etiam deprecātibus, poſthumam Sobolem diuina humanaq; Sapientia fructuoſe

imbuamus; cuius maiores aliquammulti parentesque non patriam modo, sed vtramque tam quæ in terris militat, quam quæ cælo triumphat, Ecclesiam, vitæ sanctimonia, illustribusque factis exornarunt.

CAPVT V.

ALSATIAE HACTENVS ACADEMIAM, NON TAMEN ALSATAS ACADEMIIS *defuisse*.

ENIMVERO ea est cõstans omnium, qui in Christiana religione scientiarum ornamentis excultissimi fuerunt, opinio, tantam esse Sapientiæ cum sanctitate affinitatem, vt vtraque pari fere iure participata quędam diuinitas esse videatur. Itaque qui, sicut virtutis, ita veræ germanæque Sapientiæ ortum atque progeniem vsque ab ipso cælo repetunt, nec aliunde statuunt, quam ex cælesti origine in hominum pectora scientiæ lumen affundi, hi sanè tum rationem optimam aperiunt, qua non modo ad sapientiam, sed ad ipsum quoque sapientiæ autorem, quasi gradu quodam facto conscendamus; tum vero in densa quadam humani ingenij, totque abstrusarum rerum caligine, ipsam mihi facem ad solidam sapientiam capessendam præluxisse videntur. Cum enim fontem veritatis ac lucem ipse præpotens Deus in sese contineat, ipseque adeo lux quædam certissimaque regula sit, qua tota veritatem vestigandi explorandique ratio continetur ac nititur, ab hoc profecto fonte, quicũque etiam riuus dimanet, oportet, qui suo purus affectu, & nusquam interpolante vanitate in suum sese refundat autorem. ab eo siquidem non scintillæ tantum atque igniculi ad Sapientiam conquirẽdam nobis per naturam ingenerati sunt; sed omnis etiam vis natiua ingenij iudiciique profluit, quibus velut instrumentis ad A A. L L. disci-

Plato in Timæo.

disciplinas capessendas humana industria sustentatur. Quocirca nemo mihi litem intendet, SERENISSIME PRINCEPS, si hodierna die, post eos, quos Orthodoxa Ecclesia Cælitum albo adscriptos veneratur, aliquam etiam illorum memoriam excitaro, qui doctrinæ laudibus præstantes in patria, vel certe in Ecclesia cũ omnium plausu effulserunt. neque enim potest Tibi non iucundum esse, si cognoscas eorundem commemoratione, apud istos iure merito hoc Academiç conditç beneficium positum, quorum maiores tantam eruditione sua in aliis Academiis hausta, sacris profanisque lucubrationibus lucem attulerunt, quanta si non iam dico Alsatia, sed Ecclesia caruisset, magno certè tum præsidio, tum ornamento caruissemus. Quantam enim patriæ lucem conciliauit CONRADVS ALSATA cognomento, qui primis Dominicanorum initiis, cum Ernestus amplissimi D. Petri Collegii in vrbe Treuirorum Canonicus rebus humanis valefaciens, spaciosas nouæ huic familiæ ædes ac vectigalia Summi Pontificis & Cleri volũtate reliquisset, sub initia conditi Cænobii, ob excellentem doctrinæ & pietatis famam gregi seruando primus omnium Præfectus est, quem Ordinis instituto Priorem solent appellare? Quantam MATTHIAS illustri BVRCHEGHIORVM stirpe, quem è nobilissimo Morbachiensi, cui hodie cum potestate moderaris, Abbatia, haud vulgari pietate, quam eruditioni coniunxerat, Pontificis Maximi voluntate ad Magontiacensem Archiepiscopatum pro Balduino Treuirensi, (quem primarii Collegii proceres expetiuerãt,) est euocatus? effectumque est propter eximiam eloquentiam, ciuilium rerum peritiam, & multiplicem doctrinam religiosæ vitæ studio excultam, vt & Fridericus Aug. & Canonici, quod tali re ac tempore immensi prope operis esse solet, eum Archiepiscopum volentes lubentes reciperent, & pro tali receptum colerent.

Ioann. Auentinus. Henr. Pantaleon in Prosopogr. Viror. Illustr. Arnoldi VVion lignum vitæ. Chronicon Carion. Bibliot. Gesneri. Ioann Tritem.

CONRADVS ALSATA.

MATTHIAS BVRCHEGHIVS.

Idem vero Balduinus vir magnorum in rempub. Christianam meritorum, quo securius ipse in solitudinem, cuius miro desiderio tenebatur se reciperet, IOANNEM LIECHTENBERGIVM Argentoratensi huic Ecclesiæ Præpositum spectata virtute, Sapientia, & rebus gerendis idoneum, administrandæ Diœceseos socium sibi adsciuit. Quantam item LAMBERTVS Alsata Nobilis, ex auita Bureniorum stirpe, Guilielmi Aurati Equitis Filius, qui è Cœnobio Neowilerensi, primum quidem ad Mitram Gengenbacensem; inde vero ad Cathedralem Nemetum; & post eiusdem Diœceseos magna prudentiæ doctrinæque & moderationis fama quadriennem administrationem, ad Bambergensem CAROLO IV. laudante, nec renuente Pont. Max. translatus, egregiis illam laudatissimi Principis monumentis annos XXIII. exornauit? De IACOBO WIMPHELINGIO Selestadii nato, si conticescam, ipsæ illius doctissimæ lucubrationes loquentur, qui iis literis, quibus ad humanitatem ętas tenerior imbui solet, à Ludouico Dringēbergero Westphalo eruditus, postea Friburgum Brisgoç, & ad alias deinde Academias sese conferens, omnium ingenuarum A A. absolutam quandam perfectionem feliciter assecutus, Spiram Nemetum ad Ecclesiastæ munus assumptus, cum esset excellenti vir ingenio atque virtute, morum illi integritas, tum assidua eruditionis & literarum vrbaniorum diuinarumque tractatio, ac diuturna rerum vsu quæsita prudentia, animorumque Deo lucrifaciendorum ardor, haud vulgarem apud posteros autoritatem conciliarũt. Cuius item è Fratre Nepos IOANNES munifici viri, vt quod trium Archiepiscoporum Treuirensium Consiliarius, duorum Cancellarius, spectata apud omnes Imperii ordines prudentia, erga Religionem Catholicam indefesso studio & labore, benè demum de repub. meritus sit, præclarum elogium in templo Collegii Confluentini, cuius

IOANN. LIECHTENBERGIVS.

LAMBERTVS BVRENIVS.

IACOBVS WIMPHELINGIVS.

cuius excitandi ad iuuentutem inferioris diœceseos Treuericæ politioribus literis informandam, hortator ipse auctorque fuerat, accepit. alter vero è Sorore Nepos IACOBVS SPIEGELIVS ICtus Maximiliano Imperatori primùm, mox Ferdinando Regi à consiliis fuit. vtriq; ob summum ingenium, eximiam doctrinam, raram eloquētiam apprimè carus; donec defectis planè viribus octogenario maior, honesta missione impetrata, suprema die patrio natalique solo Selestadii piè ac Religiose defungeretur. Eius interim lucubrationes, quibus doctissimis scholis insignes aliquot Iuris rerumq; forensium vsu claros autores illustrauit, hodieq; perennant. Quid IOANNEM HVGONEM & ipsum Selestadio oriundum commendem, D. Bonauenturæ Doctoris Seraphici Sectatorem, libris etiam editis, quibus Vicarii Christi autoritatem, & disciplinam Ecclesiasticam egregiè sanciuit, illustrem? Quid THOMAM vtrumq; ARGENTINATEM alterum D. Augustini, alterum D. Dominici alumnum, Theologicarum difficultatum enodatione ambos clarissimos, itaque graues & sententiosos, vt nunquam ab eorū lectione nisi doctior æquè ac moratior discedas? Nihil hic de SEBASTIANO MVRRHONE Colmariensi, ingenuarum AA. studiis expolitissimo, qui etiam Germaniam commentariis ornauit, nihil de Bernardo Wurmsero à Schaffelsheim ICto, qui dum in Bononiensi Academia Legibus operam daret, Decretorum doctrina & antiquitatum studiis ita excelluit, vt pro altero sui temporis Papiniano coleretur. nihil de IOANNE HOFFMEISTERO item Colmariensi, ex ea D. Augustini familia, qui solitariam & ab hominum cœtu segregem vitam consectantur, eloquentiæ & eruditionis laude florentissimo, quem ob raram viri doctrinam Carolus V. ante bellū Schmalcaldicum Martino Bucero in Comitiis Ratisbonæ opposuit. Non Iacobum de Alta Villa, patria Rinougiensem,

IACOBVS SPIEGELIVS.

IOANN. HVGO.

THOM. ARGENT.

SEBAST. MVRRO.

IOANN. HOFFM.

commemoro, qui exactissimos in libros sententiarum commentarios perscripsit. non IODOCVM cognométo GALLVM, Rubeaquis natum, qui parentum consilio iactis in patria literarum fundamentis, ad varias deinde Academias tamquam ad preciosissimarum opum mercatum se contulit, ibidemque Theologiæ cum primis ita se dedidit, vt eiusdem Doctor summa omnium voluntate crearetur. integritate morum & eloquentia ita clarus, vt Spiram Nemetum ad maioris Ecclesiæ cathedram euocaretur; quod munus & singulari modestia suscepisse, & præclaro integerrimi Doctoris elogio administrasse scribitur. erantque verba illius, vt quondam de Hercule ferunt, rationum acutarum tela, atque sagittæ animum ad vitæ morumq; emendationem grauiter saucientes. Non extollo IOANNEM GEILERVM patria Cæsarimontensem, qui maximam cum philosophicis tum vero potissimum Theologicis disciplinis gloriam indeptus, Herbipolensi, Basileensi, ac Friburgēsi Academiis obitis, in patriam redux, Catholici Ecclesiastę munus ipsos XXX. annos, & quod excedit, insigni eloquentię, integritatis, & doctrinæ laude in æde Argentinensi primaria gessit. quem tum alii Germaniæ Proceres, tum vero ante alios D. Maximilianus Cæsar in paucis carum acceptumq; magna dignatione habuit. Nō VLRICVM ARGENTINATEM, qui tempore Rudolphi I. ætatem degit. Non PETRVM SCOTVM indidem oriundū, & ad D. Petri Canonicum, Philosophū, Rhetorem, ac Poëtam eximiū. Non IOANNEM TAMBACENSEM, omnes libris in lucem editis claros. Non HIERON. GEBWEILERVM, oppido eius nominis haud longè abhinc dissito natum, qui positis domi literarum rudimentis, quia ingenio & memoria præstanti erat, ad Academiam Basileensem sese recepit, vt seuerioribus ibi disciplinis animum erudiret. eosque fecit progressus, vt illū Senatus Selestadianus magnis præmiis acci-

IODOC. GALLVS.

IOANN. GEILER.

HIERON. GEBVVEILER.

accitum Cratoni Vtenheimio vita functo, vt ſcholas Seleſtadianas moderaretur, ſucceſſorem deſtinarit; qui inter cæteros BEATVM RHENANVM Seleſtadianum diſcipulum habuit; is felicitate ingenii ita coæuos excelluit, vt Lutetiam Pariſiorũ tamquam ad auguſtius quoddam eruditionis theatrum mitteretur. vbi Iacobo Fabro & Iodoco Clichtouæo Philoſophiæ Profeſſorib. aſſiduam operam nauauit; alias deinde Academias maximè Baſileenſem frequentauit. cuius ſingularis doctrinæ non obſcura extant teſtimonia poſteritati conſecrata, niſi quod Academiarum Acatholicarum velut contagio quodam correptus, minus ſe fidei ſinceræ conſtantem cultorem præſtiterit. Quam ipſam cauſſam in reliquis Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, fuiſſe arbitror vel grauiſſimam, vti hanc Catholicam & Orthodoxam Academiam Catholico ſolo, Princeps Catholicus, & Defenſorum fidei verus Nepos conderes, ne videlicet iuuentus in illo ætatis lubrico, hiſce maximè temporibus, quibus hæreſes & vitia ſumptis longa quadam aſſuetudine incrementis inualuerunt, velut picis attactu inquinaretur: Sed potius in paterno ſinu, paternaque Tua cura, Catholicis inſtitutis rite imbuta, non tantum Artes libero homine dignas; ſed fidem etiam & religionem Orthodoxam perſanctè atque fideliter edocta, & ipſa ætatem illam ſua ſpõte infirmam, maximeque in vitia cæream ab omni prauarum opinionum cõtagio integram ſeruaret; & corruptas temporum iniuria priſcæ ſanctæque diſciplinæ fibras hiſce doctrinarum præſidiis inſtructa in aliis euelleret; ſintq; perpetua quadam & nunquam interrupta ſerie in hiſce Reipubl. Chriſtianæ Seminariis adoleſcentes, qui vbi de prætexta ad virilem togam peruenerint, aduerſus piorum dogmatum oppugnatores, firmiſſimis argumentis ex diuinarum humanarumq; Scientiarum armamentario depromptis communiti, Chriſtianæ doctrinæ veritatem tueantur. &

BEATVS RHENANVS.

quæ in tenerâ ætate, ceu dociles Ecclesiæ Filii didicerunt, ea in adulta, tanquam fidi dispensatores, in alios quoque diffundere laborent.

Capvt VI.

ALSATICAE IVVENTVTIS INGENIA DISCIPLINIS ACADEMICIS capiendis idonea esse.

Qvo ampliorem mihi segetem Alsatis nostris gratificandi oblatam video, vti quibus inter tot gentes barbarie incultas, disciplinarum ignoratione horridas, rusticitate agrestes, Deus munifica quadam manu & ingenium & vires impertiuisse videatur, sine quibus esset, vix quidquam à brutis ferisq; discerneremur. Et vero Germanos, quorum præstantissimos fere Alsatas nostros fuisse probatissimus quisque facile assentietur, non ad bellicam solum gloriam, sed ad literarũ etiam tractationem natura factos fictosque esse, testes sunt, quotquot Germaniam tum antea, tum vero maximè ab Christianæ philosophiæ primordiis renascentem, florentissimorum ingeniorum fæcundam Matrem, clarissimos circumquaque Viros, partim eruditarum linguarum perceptione, partim multiplici disciplinarum notitia eminentes, protulisse meminerunt. Etenim, illos etiam ante restitutam per Christum natum salutem, Græcanica lingua expolitos fuisse clarum est, ni Cæsari oculato testi fidem abrogamus, qui fusis atque profligatis Heluetiis in eorundem castris tabulas se reperisse confirmat literis Græcis confectas. Nec me fugit, quæ Glareani & quorundam inter eruditos optimatum hic opinio; qui nescio, qua huius gloriç inuidentia transversum acti, fidem testimonio tam luculento

Cæsar. li 1. com. & l. 6 belli Gall.

culento derogare conantur; dum argutè, literis Græcis, non vero lingua Græca tabulas hasce exaratas argutari an tricari non piguit. qui tamen iidem Druidas Galliarum Sacerdotes (quibus etiam Germania abundabat) in suis rebus publicis, priuatisq; rationibus Græca lingua vti solitos asseuerant. Siquidem, quod accuratissimi quiq; vetustarum Gentium indagatores solerter aduerterunt, longè ante Romanorum in has partes accessum Saronidæ (à Sarone suo III. Celticorum Rege, quem nonnemo Academiæ in Europa omnium cultissima eruditissimum Fundatorem nominat, sic appellati) qui recentibus adhuc diluuii incommodis vexatam rempubl. erigere laborarunt, Celtarũ Theosophi & Philologi magna omnium existimatione præpollebant; quibus solis ob insignem rerum admirandarum peritiam concessum erat, curare sacrificia, interpretari Religiones, imbecillioribus præmonstrare cultum Deorum, & rudes adolescentum animos bonis Artibus erudire; vt non desint etiam hac ætate Scriptores diserti illi quidem & pereruditi, qui Beroso Chaldæo Sacerdote arbitro, (cui teste Plinio Athenienses iam olim propter eloquentiam statuam aurea lingua præditam in medio Academiæ propylæo erexerunt) non à Græcis Romanisue Celtas, sed à Celtis Romanos & Græcos omnia illa & linguarum & scientiarum ornamenta hausisse acriter pugnarint. Sed ne hic contentiosum funem trahere incipiam, illud pro explorato mihi quidem est, iam pridem ante Latinorum in Germaniam Galliasque ingressum, Græcanicæ linguæ vsum viguisse. De Latina vero, tametsi serius in Germaniam nostram penetrasse non ausim diffiteri; istud tamen nemo abnuet, cum primum Romanum nomen apud Germanos Gallosque his vicinos innotuit, vna cum armis legibusque Latialem quoque linguam inuectam fuisse.

Strabo lib. 4. & li. 12. Geogr.

Berosus lib. 5. de Regib. Assyr. Picard. in Celtoped. Stephan. Forcatul. I.C.

Plin. lib. 7. cap. 37.

Val. Max. lib. 2. cap. 2 Cui enim ignarum esse potest, quod Valerius Max. tradit, Romanos linguam suam in vniuersis, quę ditioni suę parebant, prouinciis, vt eam quam longissime latissimeque propagarent, proposita etiam in contumaces pœna, omnes nationes vt condiscerent adegisse. eamque ob rem instituta multis locis Gymnasia, quibus Ludimoderatores publicis annonarum stipendiis conducti, latini sermonis notitiam singulis populis impertirent? quin eodẽ suffragante, data ab Romanis opera est, vt ne Græcis quidem, quos tamen doctiores facilè intelligebant, vnquam nisi latinè responsa darent; quin Græcos, si Romanam linguam ignorarent, per interpretem loqui non Romæ solum, sed in ipsis etiam Græciæ Asiæque visceribus cogebant; quo scilicet Latinæ vocis honos, vt ille ait, per omnes Gentes venerabilior diffunderetur, & vt ciuitas imperiosa (quod Aug. aduertit) nõ iugum solu, msed linguam etiam suam domitis gentibus hoc pacto firmius sociandis imponeret. *Aug. lib. 19 ciuitat. ca. 7.* De Hebræa vero lingua, quæ tertia restabat, iam tum priscis auorum sæculis in Germaniam translata, tacebo ego, vt D. Hieronymum Stridonensem, qui id experimento condiscere potuit, dum Treuiris ageret, loquentem attentius audiamus. *S. Hieron. ep. ad Suniam & Fretellam.* Is enim literis ad Suniam & Fretellam datis, vbi de Christiana disciplina suo iam tum æuo longe lateque in exteras nationes iuxta propheticum vaticinium propagata egisset, quis crederet, inquit, quod barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem? & dormitantibus, imo contendentibus Græcis, ipsa GERMANIA Spiritus Sancti eloquia scrutaretur? dum callosa tenendo capulum manus, & digiti tractandis sagittis aptiores ad stilum calamumque molle-

mollescunt, & bellicosa pectora ad Christianam mansuetudinem conuertuntur. Vides igitur, SERENISSIME PRINCEPS, non solum, quod in Gallis Strabo laudauit, Germanos nostros & Alsatas, φιλέλληνας; sed etiam, quod de Massiliensibus Varro prædicat, trilingues imo vero quadrilingues euasisse, dum latinè, Græcè, Hebraicè, Gallicèque præter vernaculam loquerentur. ideoq; nihil exaggeranter ab Hermolao Barbaro & Marsilio Ficino doctissimis Italis dictum; quando Germaniã ita omni genere ornamentorum optimisque studiis cum religione coniunctis abundare scripserunt, vt Tiberim in Rhenum dicerent influxisse. Iam vero non ad linguas solum reconditas; sed ad omnium LL. disciplinarum cognitionem Alsatas nostros tum naturæ genio, tũ vsu & exercitatione aptos fuisse, facilè vnusquilibet dabit, modo signa illa physiognomica ingeniosorum, quæ tum ex Aristotele, tum ex Polæmone Atheniensi adferri solent, secum expenderit; vt, quod capillis præditi sint mediç, vt loquuntur, qualitatis moderatè flauescentibus, quod laudabilis mitiorisque & ingenuæ naturæ, quod manibus mollioribus, cæteraque eminentioris ingenii τεκμήρια possideant, quæ sicut optimi temperamenti indicia sunt, ita palam faciunt, animam in apposito ad Sapientiam capessendam domicilio habitare. quæ vniuersa nemo omnium, qui Alsatas nostros non iam dico mentis sed corporis oculis vsurpet, in iis desiderabit. Sanè D. Hieronymo contestante, Galli siue Galatæ à γάλα, quod Græcis lac est, ideoque ab niueo candore dicti sunt, quod ob frigoris temperiem lactis instar albescerent, qua de re non iam nuper Mantuanus tantum; Ignea mens Gallis, & lactea corpora, nomen A candore datum; sed iam olim etiam Maro cecinit; Aurea cæsaries ollis tum

Apud S. Hieron. com. in Epist. ad Gal.

Apud Iaco. Middendorp. de Academ.

Bapt. Mãtuan.

tum candida colla auro innectuntur. itaque Strabone referente, quem ad Tiberii tempora vixisse constat, Romani Rhenum deuictis Gallis transgressi, cum viderunt Tribocos, Nemetes, Vangiones, aliasque finitimas nationes, & veritatis abundantia, & proceritate corporum, & colore flauo, moribus item ritibusque viuendi, Gallis quam simillimos, Germanos eos, hoc est, fratres Gallorum legitimos sua lingua pronunciarunt. vti, quos Diodorus Siculus, comis natura rufis, facie albos, Liuius rutilatis comis, Tacitus cæruleis oculis rutiloque capillo esse obseruarunt. & quid nuda incertaq; naturæ atque onomatologiæ vestigia consectamur, cum rem ipsam dare possimus? obi vniuersos Primæ Secundæque cis & trans-Rhenanę Germaniæ limites, mentiar, nisi in omnium tam mansuetiorum, quam sublimium disciplinarum penetralia ea felicitate perruperint Germani, vt probatissimis quibusque testibus, eadem pæne facies Germaniarum esset, quæ ab veteri æuo vel florentissimæ Italiæ fuisset. non enim tantum familiarum claritudine & Magistratuum Nobiliumque copia redundabant, dum vbiq; ciuitates illustribus habitatæ prosapiis, Coss. Procoss. Præfectos, Comites, aliosq; id genus dignitatum titulis præclaros educerent; sed Liberalibus etiam Artibus studiisque excelluisse constat, dum scholæ elegantissimorum ingeniorũ laudibus insignes modo Romam, modo Cõstantinopolim ad cathedras totius etiam orbis eminentissimas Professores hinc euocatos transmitterent. & Philostratus in Phauorino autor est, è Germanis Gallisque quotannis in Græciam magnis impendiis missos vt philosopharentur. ex quo fiebat, vt sicut ad politiorem literaturam prouehendam sub Caroli Magni tempora cuncta monumenta literis Latinis, ita ad Iulii Cęsaris ætatem publicæ priuæq; tabulæ Gręcis consignarentur.

Strabo li. 8. Diod. Siculus. Liu. lib. 30. Tac. de habitu Germ.

Sidõ. Apoll. lib. 4. epist. 21. & lib. 8. epist. 3.

Philost. l. 4

rentur. Quod si quis ambigat, quî Germanos simul circa literarum armorumq; disciplinam excelluisse vero sit simile, cum ne Romani quidem, vti suis temporibus Cicero quiritabatur, vtraque simul antestare potuerint, huic ne quid de meo attulisse videar, Cęsarem adduco, qui suis illis luculentissimis commentariis, in omni Gallia duo genera hominum memorat, qui in aliquo numero atq; honore fuissent: horum alterũ Druidum erat, aut certè aliorum Philosophorum, Equitum alterum. & illi quidem optimarum Artium disciplinis tradendis, controuersiis qua publicis qua priuatis dirimendis, Sacrificiis accurandis operam dabant, eratque ea apud Gentes illas Religionibus deditas Druidarum fama, vt, si Cæsari fidem habemus, nullum absque illis Sacrificium peragere fas esset; cum existimarent per diuinæ naturæ conscios Sacra fieri oportere. hi vero militari disciplinæ addictissimi omni occasioni imminebant, qua vel ipsi aliis iniurias inferrent, vel illatas propulsarent. atque vt eorum quisque gratia copiisq; affluebat, ita plurimos circum se ambactos clientesque ductabat. vnde alterum Celtarum genus militari gloria sub Equitibus, alterum sub Druidibus, Saronidis, ac Semnotheis literarum atque eruditionis laude præstabat. Atqui obtendet peruicacior quispiam, barbaros, ab Romanis & optimis Latinitatis autoribus Græcisque, Germanos Gallosque, editis palam libris, compellatos. non inficior hãc appellationem; qui enim possim? quando non sum inscius, tot me testibus obruendũ, quot sunt pœne Latini sermonis autores; sed illud tamen efficiam, vt non minus eodem sensu Germano Romanus, quam Romano Germanus pro barbaro habeatur. Etenim veteri loquendi more barbarum illum censum dictumque accepimus, qui neq; illa regione in qua versabatur oriundus erat, nec eorum linguam quibuscum degebat, assequebatur, denique quidquid peregrinum esset, aut extra-

neum, barbari appellatione insigniebatur. Sic enim Apollodorus Grammaticus Græcis Cares, qui meridionalem Asiæ minoris plagam incolebant, barbaros ait appellatos, non ad contumeliam; sed quia lingua & moribus differrent. Sic, quam non capiebat linguam Sophocles βάρβαρον γλῶσσαν, bellum ab exteris quibuscumque illatum Thucydides βάρβαρον πόλεμον, Medici cataplasmata ab ignotis manantia βαρβάρους ἐμπλάστους, Lucianus peregrè venientem mulierem βάρβαρον γυναῖκα dixit. Et quid ni igitur liceat æquo iure ab Germano, vel Gallum, vel Italũ Hispanumue barbarum nominari? illudque vsurpari, quod ab Anacharsi natione Scytha, cum Athenas venisset, atque ab Solone barbarus salutaretur, responsum fuit; est per Iouem & Solon Anacharsi, & Anacharsis Soloni barbarus. neque interim illud negare obstinaui, quod est apud Strabonem, Græcis factitio nomine à βαρβαρ ab-sona voce barbaros initio dictos, qui blœsi aut crassilingues essent; quique vel duriter, vel asperè verba pronunciarent. Illud duntaxat me assecutum apud æquos arbitros reor, barbari appellationem, quæ nonnunquam ab autoribus huic nationi adstruitur, ab omni conuitio posse vindicari. eorumque vel refellendam contumeliam, vel supercilium retundēdum, qui calumniam vniuersim Germanis intendunt, &, vt ille canebat, in toto iactant verba canina foro, dum illos meribibulos, distentos ventres, male moratos, & barbaros appellare non verentur; quos manifestum est & prisco maiorum æuo, & vel hodie maximè honestissimis moribus expolitos, & literarum armorumque cultu præstabiles cum celeberrimis quibusq; nationib. in certamen venire. Et erant quidem olim Germani continuis bellorum exercitationibus præferoces; verum, quod etiam in agrestibus laudauit Diodorus

Apollod. l. 5

Diog. Laer. in Anacharsi.

Henri. Bib. orat. pro Germ. cōt. Leonard. Venetum.

dorus, id multo amplius Germanis laudi fuit, vt ira cederet Sapientiæ, & Mars Musas reuereretur. an non enim in totam Germaniam illa gloria manauit, quod à Germanis & quidem ab Alsatis tamquam bellicosis, æneorum tormentorum per Friburgensem inuentio; ab iisdem vero tamquam ingeniosis & in Musarum sophronisterio exercitatissimis per Ioannem Gutenbergium Argentina Maguntiacum profectum, indeq; Neapolim & Romam delatum, in Tua SERENISSIME PRINCEPS, ditione calcographiæ libris per literata præla & traduces librarias imprimendis aptissimum munus, nō tam in terris repertum, quam diuinitus concessum, Friderico IV. de Tua SERENISSIMA stirpe Germanorum Imperium obtinente, è Germania in vniuersum terrarum Orbem tanto reipub. bono sit propagatum? Et quid de Alsatia vel prisci sæculi, vel hodierni temporis pacifica & palladia in commendationem adferri non potest? quam olim ante cæteros Deos Mercuriū & Dianam maxima semper veneratione coluisse manifestum est, nec id aliam ob caussam, quam quod ille facundiæ Præses, hæc Sapientiæ & laudatarum Artium Diua tutelaris haberetur? quam Iulius Cęsar suis temporibus planetarum & Lunæ cumprimis ortum occasumq; nimium superstitiose obseruasse recolit; quæ res sicut Ariouisto quondam Alsatarum Regi exitio, ita Romanis ad victoriam adiumento fuit; nobis vero certissimo est argumento; iam tum olim Alsatas disciplinis Mathematicis haud mediocriter fuisse institutes, vti quorum mulieres etiam, vt est apud Tacitum, huic sese disciplinæ penitus dedidissent. Hodie vero quam non ingeniorum, eloquentiæ, & humanarum, diuinarumq; rerum experientissimæ cognitionis laudem ab exteris etiam nationibus reportant? vti quos Pomponius Lætus Florentinæ Academiæ clarissimum decus, hoc ipso præ cęteris admirandos scripsit, quod quam curiose mul-

Guido Pancirola. lib. de nouis inuentis.

Thom. Bozius de signis lib. 22.

Inscripti. Sacrosancta.

Cæsar lib. 1 belli Gall.

Tacit. de moribus Germ.

Iaco. Middend. de Academ.

ti preciosos terræ lapillos intimis visceribus reconditos indagant, tam illi accuratè cælestem Sapientiæ splendorem persequantur. quid Ioannem Bodinum hominem Francogallum nominem, cuius extat in historica methodo præclarum de tota isthac natione testimonium, quod totidem verbis non pigebit adtexere; videlicet, olim armis bellisque assuefactos, tantum nunc in literis profecisse, vt humanitate Asiaticis, militari disciplina Romanis, Religione Hebræis, philosophia Græcis, Geometria Ægyptiis, Arithmetica Phœnicibus; Astrologia Chaldæis, opificiorum varietate omnibus populis superiores esse videantur. neque vero sine admirabili quadam Diuini Numinis prouidentia factum video, vt ex qua Gente olim armatæ legiones gradiebantur, qui debellatis vndique hostibus Germaniæ nomen longè lateque proferrent, ex eadem nunc aliis armis insignes turmæ prodirent, quæ omnem penitus barbariem, doctrina & LL. AA. perceptione, profligarent. itaque hæc olim durissimos milites, expertissimos duces, fortissimos pugiles dedit; at nunc etiam clarissimos Vates, facundissimos Oratores, acutissimos Philosophos, grauissimos IureConsultos, eximios Theologos producit. Sed potestne quemquam latere, SERENISSIME PRINCEPS, quanti Tu Alsatas Tuos facias, quamque de ingenio atque illorum tum ad Sapientiam hauriendam, tum ad Christianam pietatem combibendam indole opinionem conceperis, cum id clament saxa & siluæ, quæ imperio Tuo iussuque in Collegii & templi huiusce parietes coierunt? clamet in Apostolicæ sedis præcelsa petra & velut immota Capitolii rupe Academicum Athenæum iuuentuti Alsaticæ erudiendæ constitutum; clamet hoc totum tam amplum & ma-

Ioan. Bod. in methodo hist.

& magnificũ Sociis & Scholis domicilium ab Antecessoribus positum, à Te vero amplificatum, vnde velut ex arce ad populum cælestibus præsidiis iuuandum decurramus; clamet Sacra Ædes à fundamentis in cœlum educta, sublimis, augusta, & Austriæ munificentiæ digna, Deiparæ Sapientiæ-Præsidi nuncupata, illustre & sempiternũ inclytæ Domus Austriacæ monimentum. Accedit etiam indulgentissima Tua, SERENISSIME PRINCEPS, tum erga Societatẽ vniuersam, tum hoc Collegiũ beneuolentia, omnibus ædificiorum molibus meritò anteferenda; cui nos vt pro viribus ad votum tam benefici Principis respondeamus; vtimini nunc, ALSATÆ optimi, nobis ad hoc natis, atque à Deo in hoc instituti ordine collocatis, vt qua licet, pro minima nostra opera, certè maxima voluntate, vrbes, populos, prouincias, regna, omnemque terrarum Orbem peragrando, animas cœlo propius admoueamus. Vtque siue teneriorem ætatulam in Gymnasiis erudiendo, seu plebi ad virtutem, Deique cultum promouendæ, siue luporum ferociæ ab ouilibus arcendæ, seu leuandis ægris, siue qua alia via, consilio, votis, auxilio ad rempub. Christianam subleuandam accurramus. quamuis enim illud vitæ genus amplexi simus, vt omnia studia conatusque nostros ad ęternam hominum salutem, more atque instituto nostro, nobis conferenda esse intelligamus; incredibile tamen dictu est, quantum tam luculento Principis in Religionem promouendam, beneuolẽtiæ erga Societatem, pietatis erga patriam hanc adiuuandam documento, in conspectu totius Europæ posito, ad id ardentiùs faciundum inflammemur, & velut noua quadã anima nos animari sentiamus. Nam sicuti, quò Gubernator cursum flexerit, eodem & Remiges conniti fas est; sic cum noster docendi labor in isthęc Academię primordia inciderit, non tantum nobis toto, quod aiunt, pectore in id incumbendum putamus, vt au-

ditores honestis literis imbuantur; sed etiam, vt in eo munere id spectemus, quod Tibi, SERENISSIME PRINCEPS; in hoc absoluto Sapientię domicilio statuendo propositum fuisse animaduertimus; vti hanc à Deo Tibi commissam Diœcesin superiorum temporum fluctibus iniuriisque quassatam, in optatissimum niueę pacis & pristinę tranquillitatis statum reponas; illeque tandem dies illucescat Alsatię Tuę, quem Bartolomęus Latomus grauissimus ille Senator non tam hominis ciuilis, quam Sacerdotis Dei zelo flagrans, literis ad Bucerum, infame Alsatiæ monstrum datis in hæc verba peroptabat; illum diem Germaniæ felicem pronuncians exoptansque, & veram huius lucis celebritatem, quâ dissipatâ iam diu membra ac pœne perdita totius Ecclesiæ, in vnius corporis compagem & pulcritudinem restituerentur.

Latom. ep. ad Bucerũ.

CAPVT VII.

QVAM HONORIFICVM QVAMQVE OPPORTVNVM ALSATIAE, in ea per SERENISSIMVM Domus Austriacæ ARCHIDVCEM ACADEMIAM fundari.

SICVT enim Petri nauis, quæ omni armorum genere in Europâ per nefarios antiquæ religionis hostes oppugnata, scelerum fluctibus pœnè latus dabat, illa eadem, ceu per damna crescens, ab ipsa damnorum clade, Iapone, Indiis, Sinis, cæteraque obeuntis & Orientis Solis regione occupatâ, animum viresque resumpsit; ad eundem modum Germania, & huius nobilissima portio Alsatia,

ſatia, vti non vlla retrò memoria facile ſenſit hoſtes religionis, vel nocendi libidine ferociores, vel duriores pertinaciâ, aut ſuperbiâ inflatiores; ita ex aduerſo in veteri fide propugnandâ, expertorum Ducum copias & robur vidit, quãdo velut expergefactis ad hoſtium præſentiam omnium Artium ac diſciplinarum ingeniis, gladios & tela ſuorum iugulis impendentia fortiter adhuc defendit, hodieque Dei Diuorumque ope propulſat. quin & vniuerſim, ſiquid priſcæ dignitati atq; Orthodoxæ fidei probri alicubi eſt illatum, id, quæ eſt Dei præpotentis in Eccleſiam immenſa bonitas, Præſulum doctrinâ atque eruditione præſtantium integritas commodè reſarcit; vt illuſtria priſcæ atque Apoſtolicæ religionis exempla cum luce quadam doctrinarum ab optimis Paſtoribus in ſubiectas ditiones propagata, deſperatis propemodum Eccleſiæ rebus aurea quadantenus ſæcula repromittãt. Atque vt ſuperiorum ætatum deformatam Imperii faciem, quibus Wandalorum, Gothorum, Auarum ſiue Hunnorum acies, velut feræ caueis emiſſæ omnem ferè orã Catholicam inauditâ crudelitate, torrentis inſtar omnia agentes miſcenteſque protritum ibant, non explicem; illam duntaxat bonorum iuxta malorumque viciſſitudinem, quâ præpotens Dei prouidentia dies illos, quibus nos viuimus, magna rerum varietate mirificè temperauit, recolamus. intelligemus profectò, etiam hoc effæto ſeneſcentis mundi æuo, quidquid aut infrunitâ hæreſeon veſaniâ, aut cruentâ ciuilium bellorum ſtrage, aut licentiâ morum labefactatum fuit; id optimos cordatoſque reip. Principes in tempore tamquam cælo datos reſtauraſſe. enimuero (vt ad omnium malorum & turbarum, quas aut apoſtaſia Truchſeſiana, aut Brandeburgica factio, aut aliorum malè pacatorum hominum iniurioſæ infeſtationes dederunt, fontem conuertamur,) cum Lutherus tam cum tota Eccleſia Catholica, quam ſecum ipſe

ipſe diſſideret,&, vt hæreticum decebat, ſcindere Eccleſiam, concordiam infringere, maledictis vexare Principes, diuina humanaque omnia ſurſum deorſum vertere, id demum noui Euangelii præconem agere putaret; ſicut in Anglia cæde innocentum, in Scotia deteſtandis regii ſanguinis parricidiis & proditionibus, in Gallia Belgioque ſpectabili perduellionis reatu, iam inde ab incunabulis nouæ doctrinæ omnia dire permiſcebantur; ita in Germania erat res grauiſſimæ contentionis plena, Lutheri iam perſurentis atque omnia turbantis auſa conatusque infringere, & popularium denique, quos odio inuidiaque in Principes iam accenderat, turbulentos motus refrænare. & primum quidem Laudaui, quod in Alſatiæ noſtræ finibus oppidum eſt, coëunt nobilitas coniurata, Franciſco Sickingio factioſorum anteſignano; inibi circa D. Laurentii feſtum, cum ingens ſeditioſorum numerus conſcriptus eſſet, cœperunt clam de bello agitare; nec re in longum extracta, Duces ac Principes belli faciundi iudicesq; controuerſiarum inter ſe priuato iure conſtituunt, tribunalibus aliorum Principum eiuratis; & facta de pernicie publicæ ſalutis, deq; conſiliis aduerſus omnes Imperii Principes cōſpiratione, prout rem hanc verè tragicam ſumma eloquentia doctrinaque Bartolomæus Latomus proſequitur, contactis Sacroſanctis Euangeliis paciſcuntur. nimirum, vt Cæcias nubem, ita ſeditionum omnium iniquarum procellas hæreſis ad ſe trahere conſueuit. Non hic Vulcania arma, non Palladis ægida, non Lapitharum & ſemihominum, Centaurorum prælia in contentionem adducimus; vno verbo, panicorum tumultuum, qui in hanc vicinaſque prouincias reciproco bellorum æſtu inciderunt, crudelitatis in homines, impietatis in Deum, ſpurcæ libidinis in omne genus hominum profecta exempla, ſepulcra fracta effoſſaq; cadauera, cum gemitu recordamur. Et hoc vnum Germa-

Germaniæ malis deëſſe videri poterat, vt homines ad cultum agri & frangendas glebas nati, iure ac legibus commutatis, ceu renouato ciuili bello, dominatum ambirent, & magiſtratibus, quibus iure parere oportebat, iniungerent ſeruitutem. Prima igitur velut ad tumultum ipſis inauſpicatis Kalendis Ianuariis vexilla in agro Campidunenſi erecta; ad quæ mox armati paſtores Algouici amplius quatuor millia accurrerunt; hinc affluente Vere quatuordenũ millium exercitus conflatus eſt, vnde Rhætiam, totamq; Sueuiam peruagati, nec pagorum, arcium, oppidorum, nec templorum vaſtatione contenti, Nobilem Campidunenſis Abbatiæ ſedem, plurimasque id genus pietatis officinas, horribili ſtrage beluarum ritu protriuerunt; cuius deinde belli incendium, Rhenum, Haſſiam, Buchoniam, Thuringiam comprehendens, cum Palatini quoque ditionem adlamberet Guilhelmus Argentinenſium Præſul Moguntinæ Diœceſeos Vicarius, Richardi Treuirorum Archiepiſcopi Electoris ope implorata, delectis equitum è prima Nobilitate lectiſſimis, aliis deinde Principum copiis auctus, Duce Georgio Truchſeſio ad Konigshouium in Franconia, ſex agrariorum millia, Biſſchoffsheimio deinde, Laudauo, Mergenthemio, aliisque vicinis vrbibus in deditionem acceptis, & graui ęre redemptis, octo millia ad Wirceburgum ab ſolo equitatu turbinis inſtar diſiecti, protritique ſunt. tandemque Wirceburgum ingreſſi, damnatis ſupplicio ſontium autoribus Franconiæ pacem reddiderunt. in Vangionum deinde fines, vnde triſtiora nunciabantur, deportato ad Pfedersheimium exercitu, octo colonorũ millia ad Pfremum amnem miſerabili ſtrage, aliis cæco Pfremi gurgite hauſtis, aliis ab equitatu oppreſſis, deteruntur. Iure igitur iudiciisq; ſublatis victrix exultabat impietas, premebantur innocentes, pupilli & viduæ diripiebantur, in monaſteria vero & Eccleſias omnis ſeſe impune malorum tem-

pestas effundebat. quippe quorum compilare fortunas, census & opes exhaurire, quotidianus quidam Sacrilegorũ ludus & iocus habebatur. Quin vniuersa huius Dioeceseos loca sub idem tempus seditionibus & bellorum vbique incendiis conflagrasse obliuisci possumus? cum ad xxx millia tumultuantium Alsatiam obtinerent, è quibus ad xx. millia, vt alii ad xxvi. tum alibi, tum maximè Tambachum inter & Skowylerum, tum haud procul Selestadio miseris modis trucidata vno velut turbine perierunt, non alia peste faces iniiciente, quam quas hæresis paci & concordiæ inimica præferebat, quasque illius bonæ Deæ Sacerdotes, Lutherus, Zwinglius, Caluinus, ceu tartareæ quædam furiæ per seruitia in Dominos armata, per vrbes qua vi, qua dolo malo, iustis Dominatibus extortas, per occupatas arces, & præsidia, expilatos vicos, inflammatos agros, regiones inauditis latrociniis vexatas, omni fæciali iure proscripto iactarunt. quot tum Sacras ædes, quot Deo dicatorum hominum septa sacrilegis manibus temerata solo æquarunt? quoties veterum Africæ persecutorum, Wandalorum, Gothorumque in Dei Sacerdotes exēpla vel renouare vel superare conati sunt? Et ne sine tuba vel classico ad fanaticum illum impetum homines prosiliisse putes, Germanici Cyclopis primum audita vox est, & auidissimè accepta; hunc esse diuini verbi quasi genium, vt nunquam quieto & dormiente Satana emergat, quare ad coniurationem rusticorum Muntzero Duce, simul belli signum dedit, gladium ceruicibus Principum imminere denunciabat, nullis legibus humanis, sed vix diuinis subditos teneri, Euangeliũ vi quadam atque discordia instaurari oportere. Hinc beluæ nescias an hominis effatum ab eodem Pseudopropheta emissum est; Quod verum Dei verbum doceret, eius rei efficacius argumentum aut miraculum non habere,

To. 9. Germa. VVittenb. In actu Comit. VVormat. fol 109. Erasm. in ep. ad frat. infer. Germ.

re, quam quod tam cito tantas discordias ac tumultus commoueret; & Euangelii peculiarem hanc esse naturam, quod excitet seditiones. id quod de Arianæ sectæ ingenio, quæ sectarum nostri temporis prælux quædam extitit, luculentè testatus est Vincentius Lirinensis. tunc siquidem, ait, quando nouum illud dogma exortum est, non tantum affinitates, cognationes, amicitiæ, domus; verum etiam vrbes, populi, prouinciæ, nationes, vniuersum postremo Romanum Imperium funditus concussum atque emotum est. namque vbi profana ipsa Arianorum nouitas velut quædam Bellona, capto prius omnium Constantio Imperatore, cũcta deinde palatii culmina nouis legibus subiugasset, nequaquam deinde destitit priuata publicaq; iura profanare. tunc temeratæ coniuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, monasteria demolita, disturbati Clerici, acti in exsilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergastula, carceres, metalla, quorum pars maxima interdictis vrbibus protrusi atque extorres, inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti, contriti & tabefacti sunt. atque hæc omnia nunquid aliam ob caussam, nisi vtiq; dum bene fundata antiquitas scelesta nouitate subruitur, dum Superiorum instituta violantur, dum rescinduntur scita Patrum, dum definita maiorum conuelluntur? Hinc ergo illud popularis belli incendium, quo

Vincent. Lirin.

tota fere Germania deflagrauit; vt vix tãdem multorum millium sanguine restingueretur. quam calamitatem secuti sunt motus Principum, qui spretis æquissimis maiorum legibus atq; institutis, rem vi gerentes, & ipsa patriæ viscera crudelem in modum depasti, huc demum amentiæ prolapsi sunt, vt cum valere se temporibus arbitrarentur, magna vi atque impetu ipsam Augustalem Imperatoris maiestatem imminuere, sceptrum quoad possent è manibus, & gladium à Deo porrectum excutere, ipsumque summum Magistratum è solio, in quo Diuorum hominumque consensu collocatus est, deturbare laborarent. quæ dum fiunt, heu! quam multis hodie liberis ciuitatibus omnium exitialium sacrorum ac dogmatum colluuiem aperto velut ostio immissam, & vnam Catholicam atque Orthodoxam Religionem longissimè portubus ac portis profligatam lugemus. Estque ea constans cordatissimorum hominum sentẽtia, in eam necessitatem maleuolorum consiliis & machinationibus optimum reipubl. Christianæ statum auorum memoria deiectum fuisse, vt funditus pessum ituri fuissemus, ni Diuina Sapientia, per quam Reges regnãt & potẽtes iustitiam decernunt, cęlesti planè consilio summam rerum ad Gentem Domumq; Austriam deferri voluisset. cui quantum posteris sæculis tribuere vellet, Christiano populo haud obscurè olim declarauit, quando è cœlo salutare Crucis signũ eo tempore ostẽdit, quo RVDOLPHO, qui primus ex ea familia Cæsar dictus fuit, Aquisgrani more maiorum augustalia insignia deferebantur. Monstrabatur videlicet iam tum bonis omnibus, fore, vt Austriacis ad clauum Imperii considentibus Gentes Christianæ sub viuificæ Crucis vexillo respirarent. quæ spes ne quemquam falleret, ex quo momento Principes Austriaci regnum imperiumque obtinuerunt, mirum quantis populorum regnorumq; accessionibus aucti cumulatiq; fuerint, Rhætorum,

torum, Valeriorum, Carnorum, tum Belgarum, Hispaniarum, Siciliæ, Bohemiæ, Pannoniæ, & denique Indiarum; vt è sola illa Gente, quod nulli ab Orbe condito euenisse vllus meminerit XII. Cæsares non hæreditario iure; verum quod Augustæ virtutis argumentum est, libera Septemuirum electione creati sint. Et quod maximæ cuiusdam felicitatis indicium esse potest; de nulla familia quoad terrarum Orbis stetit, dici possit, quod de hac; imperio illius & dominatui nunquam Solem occumbere; cum tam Europæ, quam eorum qui nobis obuersi sunt Antipodum regnis dominetur. & cum essent, qui hanc tantam Augustæ huic domui felicitatem inuiderent, omnesq; neruos ad eam oppugnandam intenderent, adeo tamen subruere nequiuerunt, vt quo id magis molirentur, hoc illa semper altius ritu Nobilis arduæque palmæ assurgens, amplioribus ditionum atque ornamentorum accessionibus cresceret. itaque iam sit coniuncta salus omnium nostrum cum Domo Austria, vt neq; nos illa stante & virente corruere, neque illa sine grauissima totius reipubl. Christianæ calamitate appeti posse videatur. Quo magis Alsatiæ huic gratulationem debemus & applausum, quod ex illa Domo, cuius Maioribus Nepotibusque ea cura vel maxima semper animis infixa fuit, vt periculorum immemores, memores diuinorum erga se benefactorum, memores regii muneris insigniumque cognominum, reipub. Orthodoxæ fidem sartam tectam retinerent, Academiæ huius vere Austriacum indulserit Fun[illegible]torem; vti qui illud, quod vnum ad summam Augustæ & felicis huiusce Domus laudem & tot tantorumque triumphorum cumulum desiderari videbatur, egregiè expleret, vt publica virtutis & Sapientiæ officina constituta, spiritalia quoq; arma comparari sanciret, quibus gloriosissima animarum simul & corporum victoria potiretur. hancque Dioecesim ita exornaret, vt omnibus fru-

gum, fructuum, vini opibus, cæteraque vbertate redundantem, quæque esset (vt ille canebat de Parisiensi gleba, posteaquam illam ditionem Carolus Magnus Academiâ decorasset;)

Diues agris, facunda mero, mansueta colonis,
Messe ferax, inoperta rubis, nemorosa racemis;

per hoc Athenæum omnium Scientiarum, magis magisque vt Tertullianus aiebat, ceu rus consitum, & amœnum, super Alcinoi pometum & Midæ rosetum efflorescerct. Romam itaque latericiam inuenisse; reliquisse marmoream; gloriatio sit Augusti Cæsaris; Tua erit, Serenissime Princeps, tantò gloriosior quantò sublimior, perenniorque; Alsatiam Academicam effecisse. Verè enim, quoad hæc Orbis moles sibi constabit, omnibus omnino rebus Sapientia, vt volucribus Aquila, quadrupedibus Leo, piscibus Delphinus, arboribus Palma, brutis animantibus homo, terris astra; imò ipsis dominabitur astris.

Caput VIII.

GRATIAE SERENISSIMO FVNDATORI NOMINE NOBILITATIS ALSATICAE.

Cvivs tam eximiæ beneficentiæ fructum cum ad nobilissimam Alsatiæ ditionem augustiore quadã luce illustrandam, tum vero haud mediocriter ad illos pertinere arbitramur, quos non minus natalium & generis splendor, quam indolis & virtutum claritudo cęteris altius euexit. vt ipsam Nobilitatem accessorio quodam honore nobilitatam rectè dixerim, quando illam Ar-

ARCHIDVCALI ACADEMIA videmus honorari. Quamuis enim ex maiorum nobilitate aliqua poſſit vulgi opinione gloria emanare, certior tamen ea & ſtabilior omnium ſapientum ſententiâ habetur, quam ſibi vnuſquilibet propriis meritis rebuſque præclarè geſtis comparauit: & veriſſimum eſt illud Antiſthenis pronunciatū; homines virtute ſapientiaque præditos in ſe fontem continere, vnde nobilitatem ſibi affluenter haurire poſſint. Quis ergo non videt, eò nobis ad agendas pro meritis gratias operoſiorem imponi prouinciam, quo iſthæc Tua, SERENISSIME PRINCEPS, eximia munificentia non ad plebeios duntaxat & gregarios, ſed ad ipſos etiam Nobiles & auitâ maiorum ſerie illuſtres amplioribus ornamentis honeſtandos ſeſe exporrexit? Videlicet iam nunc iſtius in mentem venit, quod Iulio II. Pontifici Max frequens in ore fuiſſe accepimus, literarum ſcientiam in plebeis argenti, in Nobilibus auri, in Principibus gemmarū loco habēdam. nec minus recolunt animo Alſatæ Tui, quod Macrinus Imp ad Senatum reſcripſit; exiguum fore in Nobilitate momentū, niſi cum Sapientia morū benignitas adſit & humanitas; ſiquidem fortuna muneribus ſuis etiam parum dignos exornat; animi per Scientias liberaliter exculti virtus, quæ ſola clara æternaque habetur, propriam cuique nata eſt, eamque ſolidam apud omnes gloriam conciliare. Quod ſi præclarè, & vti multa, ſapiēter ſeuerus ille morū Cenſor Cato iudicauit, eam remp. fore maximam & fortunatiſſimam, vbi claro loco nati primas virtutum minimè ignobilibus concederent, & plebeii cum primariis non de generis gloriâ, ſed de virtutum prærogatiuâ concertarent: ſentiet nunc profectò ACADEMIA MOLSHEMIANA nobiliſſimos quoſque

que Alsatas insigni morum commendatione & accessione doctrinarum acceptam à maioribus Nobilitatem cumulaturos; & si idē est gloriæ qui virtutis modus, quantoque hæc clarius excellit, tanto illi altior locus debetur, virtutis vero magnitudinem operis præstantia metimur, præstantissimum porro illud opus esse ducimus, in quo maximè ingenii atque industriæ vis exprimitur; qui non stimuli Nobilium Alsatarū animis, quæ non studiorum flammæ generosis illis pectoribus suscitabuntur, vt ad illud, quod Tibi, SERENISSIME ARCHIDVX, in hac absolutissima Nobilissimarum Artium palæstra constituenda propositum esse vident, totis viribus connitantur? vt quos olim auitæ familiæ splendor siue principalibus consiliis adhibebit, siue honorificis palatinorum officiorum dignitatibus efferet, siue alio quouis munere cumulabit; tantò hæc omnia securius illis committantur, quantò eximia disciplinarum liberalium cognitione clariores existent. Vtinam vero sicut vberrimos olim reipubl. fructus eorum Nobilissima indoles pollicetur, ita nos, etsi non pro dignitate, at pro voluntate, quando officiorum vicissitudine aliud nequimus, at saltem sermone aliquam gratiæ vicem rependere valeremus. Imperabo autem mihimet ipse, & singulari quodam gratias agendi genere sentiendo gratior quam loquendo, illud ex eorum mente profitebor, amplius vniuersos nos Tibi debere, quam exsoluere vlla ratione possimus.

FINIS LIBRI TERTII.

AR-

ARCHIDVCALIS ACADEMIÆ NOVÆ MOLSHEMENSIS,

A

REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO D.

LEOPOLDO

ARCHIDVCE AVSTRIAE, &c. EPISCOPO ARGENTINENSI ET PASSAVIENSI, &c.

FVNDATAE, ET PANEGYrico Explicata

LIBER QVARTVS.

DE SOCIETATE IESV, CVIVS GVBERNATIONI TRADITA EST ACADEMIA MOLSHEMENSIS.

Procœmium.



ON est ita pridem, SERENISSIME PRINCEPS, cum minimam nostram IESV Societatem fermè nulli non cognitam, nescio qua maleuolorum aura adflari, & oborto certamine aduocationem postulari viderem. Ego vero, vt litium semper fugitans mox resilui, atq; ab contentiosa dimicatione alienus,

 vt cla-

vt clamores illos excuterem, ad gratissimum Musarum ocium diuertens, eò me velut in tranquillum portum & religiosæ quietis asylum recepi. Inter hæc nescio quis Vindex aut Recuperator ad fores; meq; si non arbitrum innocentiæ iam præiudicatæ, at Patronum ei, cui me, Deo ita vocante, ex voto succenturiandum sponte mancipaui, in hoc publico Nouæ ACADEMIAE theatro fieri rogabat; idque officium me citra insignem ingratitudinis notam illi recusare haud posse asserebat. Itaq; vides opinor, SERENISSIME ARCHIDVX, æstus meos, & quibus cogitationum fluctibus in ipso ferme Orationis exodio circumuentus sim, animaduertis, vt positis vtrimque rationibus, quod de Critolai lance dicitur, quantum vnam erigi, tantum alteram deprimi necessum sit. Si enim ad dicendum homo infans, certè non disertissimus adgrediar, verendum mihi omninò est, ne offendi se magis quam defendi ipsa illa Societas sentiat, quæ nullius externi præsidii egens, suis probè septa & vallata munimentis natiuam vim suam vltrò per se tuetur; neque nostram illa Panegyrim laudumq; prædicationem exposcit, quæ pura castaque mente vni Deo addicta, omnem humanæ gloriæ gargalismum Religioso quodam fastidio calcare didicit. Quod si contentione aut viribus ingenii agendum sit, nos inter tam multos longe disertissimos fandiq; potentes ne respiciat quidem; sed potius Carneadem sibi quempiam adsciſci iubeat, cuius eam ingenii vim Tullius fuisse memorat, nullam vt vnquam rem confirmandam susceperit, quam non probauit; nullam impugnandam, quam non euertit: sin vero planè obticescam; ingratitudinis Scyllam reformido, dum ei, cuius instituto me totum addixi, deuouique; vel tantillum apologetici laborem impendere noluisse conuincar. Quia tamen grauissimo Tuo iudicio, SERENISSIME PRINCEPS, ita eam hodierna potissimum die extulisti, vt iuxta Apostolicas Cæsareasque autoritates Archiducalem Tuam Molshemensem studii Generalis Vniuersitatem,

in qua

in qua Religiosi Societatis IESV Theologiam tam Scholasticam, quam Positiuam, necnon Philosophiam Naturalem & Moralē, Linguas item, Latinam, Græcam, Hebræam, aliasque Ingenuas Artes profiteantur, ac iuuenes quoscunque doceant, eamq; ad instar aliarum Vniuersitatum studiorum Generalium, tam in Transalpinis prouinciis & regnis, quam alias vbilibet erectarum, Apostolica Cæsareaque autoritate erectam, & institutam; & quibuscunq; priuilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, fauoribus, gratiis, prærogatiuis, honoribus aliis Vniuersitatibus tam Apostolica, quam Imperiali, Regia, aut Ducali autoritatibus, & aliâs pro tempore quomodolibet concessis, non solum ad eorum instar; sed pariformiter, ac ęque principaliter in omnibus & per omnia vti, potiri, & gaudere, voluerunt; eam inquam sic erectam & institutam *Tuo, SERENISSIME PRINCEPS, rogatu ac voluntate*, curæ, regimini, & administrationi Societatis IESV & illius Præpositi Generalis, seu ab eo deputandi, qui totius Vniuersitatis Rector existat, Apostolica, Cæsareaque autoritate perpetuo supponant ac submittant. *non est, quod iam amplius aut vindiciis dandis, aut prædicandis illius laudibus inanem metum prætexam, cum vel hac vnâ testificatione in totius Orbis Christiani conspectu positâ maleuolentissimorum hominum calumniæ, qui-*

bus clam palamue impetimur, deterantur, & veteri Graecorum paramiâ, Veritatis Oratione tametsi simplici *gloriosior virtus aduersus subdolas hostiũ substructiones eualescat. Fauent vero, vt video; SERENISSIME PRINCEPS, iustissimis conatibus meis Auditores, & sua vultus serenitate, minimeq; obscurâ beneuolētiæ aura planam mihi & expeditam viam muniunt, vt de illa quidpiam Familiæ differere, minimè vel ab hoc loco vel ab eorum cupiditate alienum futurum sentiam, cuius honori Te adeò consuluisse agnoscunt, vti hoc ei Augustum Academicarum Artium Sacrarium publica Summorum Christiani Imperii Capitum approbatione commendares.*



CAPVT I.

DE SOCIETATIS IESV IN CHRISTIANA IVVENTVTE DISCIplinis ACADEMICIS erudienda instituto.



NTER inextricabiles schismatum, & offensionum sinus, quibus ille serpens antiquus tamquam spiris, omnium ordinum homines labentibus annis inuoluebat; Ecclesia tamen semper læta atque fæcunda singularem retinuit crescendi facultatem, nimirum vt illud adspiceres, Arcam vsque diluuii aquis attolli, & contra praua tum crudelissimorum Regum fastigia, tum vaferrimarum hæreseon dogmata, ferri tamen fluctibus superiorem. Fecit hoc magnus ille vniuersi Rector, Ecclesiæ vero suæ etiam clypeus & tector Deus, qui opportunis temporibus eas hominum nationes suscitauit, quæ docendi, prædicandi, & cæteris

cæteris id genus muneribus, Apostolici instituti functiones egregiè explerēt; nec disciplinam tamen interiorem, vel asceticæ perfectionem intermitterent. Videlicet cuique ætati apta opportunaque subsidia, quibus ad supremam beatitatem pertingere possit, diuina Supremi Numinis prouidentia largitur. atq; vt quondam inualescente Albigensium hæresi, noua quædam excitauit in Ecclesia Dei lumina, quæ cum eruditionis splendore, tum perfectæ vitæ peracri studio, humano generi in tam tetra vitiorum nocte prælucerent, atque ad æternæ vitæ semitam vltro se duces offerrent, Franciscum Assisinatem in Italia, & Dominicum Calarogam Nobili Gusmanorum domo in Hispania natum, ambos Dei amicos, excellenti vitæ probitate, ac sanctimonia florētes; tum maximè, cum alibi Præsulum studia circa salutem animarū languescerent, alibi Sacerdotum iners & reproba vita parum remedii afferret: ad idem planè exemplum sæculo proximè superiore, vario ferarum incursu labefactam suç vineæ maceriam, tum nouo militum præsidio circumdare, tum hostilia fortiùs repellere cœpit. Quippe Paullo III. Pontifici Maximo Christique Vicario hanc mentem iniecit, vt Religionem Clericorum Societatis IESV Parisiis in B. P. IGNATIO nouemq; sociis natam, in Hispania olim probè exercitam probatamq;, iam à teneris ad defensionem & propagationem fidei coalescentem probaret, confirmaretque, statione illi in Ecclesia attributa, ex qua vitiis, hæresibus, atque errorum infamiæ bellum faceret, remq; Christianam pro virili parte ab hostium insultantium furore tutaretur. Quod si igitur in hominum perniciem Satanici administri adeo attentè peruigilant; Societas nostra IESV, quæ ad hos omnes miseros, eoq; calamitosiores, quo exitii sui securiores sunt, eripiendos à primis suis incunabulis aduocata est, ad quam, quæ summa Dei benignitas, vndique manus tendunt, à qua perditæ perituræq;

Vincēt. specul. histor. lib. 30. Surius tom. 4. Anton. 3. part. tit. 23 S Bonau. vita S. Frā. apud Sur. tom. 5.

vitæ auxilium aliquod expectant, rogant, vt ex tanta illos volutatione extrahat, vt disiectis atque errantibus clarum veritatis lumen ostendat; & tamen tam multorum animorum saluti, qui tot insidiis in discrimen adducuntur vel punctum temporis eripiet, quo accita non opituletur? non faciet, si nomen, si institutum, si Dei gloriam, si suam ipsius salutem tueri volet. non certè Ignatius primus eius Parens atque Autor, per quem in hoc vno corpore (dicam vel adstante inuidia) vexillum Deus de gentilitate atque hæresi, ingrauescente hoc sæculo extulisse videtur. Videbat in remotissimis regionibus Satanam Sacrilegum furem, quem Deo ipsi sustulerat, diuinitatis honorem vsurpare; videbat ad Septemtrionem Lutherum impiissimas patriæ suæ faces intentare; videbat vtroque in orbe magnam hominum partem Dei sui ignoratione laborare, magnam turpissimis opinionibus imbutam, longè maximam innumeris vitiorum pestibus deflagrantem ad æternam perniciem prouolui. Annus iam prope octogesimus agitur, & dedit ex eo Societas viros, qui magno conatu, & Deo conatum secundante, non sine fructu, in altero orbe idololatrici portenti cultores artificesque subigerent; in hoc nostro de salute deque fide periclitantes ad desertum Ecclesiæ gremium, hæresibus postliminio eiuratis, suauissimè fortissimeque reducerent: in altero gentilicios aspides & serpentes regulos, arida & inaquosa consectantes, aquis Baptismi lustralibus expiarent; in nostro desperatione iam succisos post frequentata mortis opera animos in gratiam cum Deo reponerent: in altero per vicina cælo iuga, per aspera vepribus saxa, per duriora saxis Gentium corda, per infames marinis scopulis salebras, diuino igne inflāmati, feliciores animarum quam alii margaritarum piscatores penetrarent; in hoc nostro per Academias, per Gymnasia, per Catecheses pueritiæ Catholicæ fræna tractarēt; quorum blandam

blandam ſequentes pueri manum Chriſtianæ diſciplinæ præceptis imbuerentur, atque à teneris ad virtutem diuinumque timorem conſueſcerent. Colluſtremus aliquãtiſper, ſi placet, omnia quæ ſequuntur mortales in ciuitate, in rep. in Eccleſia viuendi inſtituta; quot Societas ex iis, qui cum in literarum palæſtra ad omnem honeſtatem formarentur, magnam ſuis moderatoribus, magnã propinquis, magnam reip. virtutis expectationem commouerant, nunc orbi & florentiſſimis quibuſque rebuſpubl. Sereniſſimos Principes, Illuſtriſſimos Heroas, Religioſiſſimos Antiſtites, Magnos viros, clariſſima ditionũ capita & columina ſuppeditauit? quantos inter tot venalis vitæ animas reperire eſt, qui comparato ſibi apud nos pietatis & literarum idoneo apparatu, deſpreta mundi vanitate perfectæ vitæ deſiderio incenſi, in ſacroſanctas Religionum familias, quaſi in ſalutis portum ſeſe adgregarunt; vbi ſeuerè imperare corpori, habenas voluptatibus iniicere, ſenſus omnes in arctum rationis gyrum cogere, nullius non ſanctitatis numeros obire poſſint. SERENISSIME PRINCEPS, quod nullis Tuis ingratiis fiet, Chriſtianiſſimi atque inuicti Gallorum Herois, Henrici IV. Maximi Francicas per oras tandem Societatis noſtræ Patroni elogium adducam; illius inquam immortalis Regis, quem ſuperioribus annis funeſtus latro ſui ſuorumque benefactorum ſecurum, cum fructu amplitudinis regiæque dignitatis quam maximè frueretur, nihil tale metuentem, inaudita audacia, latrocinante cultro ſuſtulit, cuius deinde nos ſicarios per tot terras hæretici pro ſuo in nos amore, nullo tamen interea vel veſtigio ferri, quod Ieſuitæ cruentaſſent, oſtenſo, proclamarunt. Hic, cum eſſent è Senatoribus, qui compluribus argumentis Regem à Sociorum in Galliam, vnde iniquis ſugillationibus pulſi fuerant, reuocatione auerſum ibant; hoc eos inter cætera reſponſo conſilii nec inops nec incallidus Hen-

In Apolog. Hërici IV. pro Societ. Henricus retudit. Triginta, inquit, & eo amplius anni ſunt, cum in Galliis Patres iuuentutem bonis & moribus & literis excolere cœperunt. In horum Gymnaſiis quam multi ſuis ſtudiis aut laudabilem finem impoſuerunt, aut ad Iuris prudentiam vel Medicinam tranſierunt, aut ad alias functiones publico bono euocati ſunt? Nec diſſimile huic teſtimonium dedit nuperrimè Chriſtianiſsimus LVDOVICVS XIII. tanti Parentis haud degener Filius, qui & amori, quo Societatem, & affectui, quo bonas Artes, & zelo, quo remp. Chriſtianam amplectitur, conteſtando, inter cætera digna CHRISTIANISSIMO, digna LVDOVICO Rege opera, noſtros vna cum veteri Claramontani Collegii poſſeſsione, priſtinas etiam Societatis functiones quibuſcunque diſciplinis Iuuentutem erudiendi, velut poſtliminiò, aduerſariis nequidquam obluctātibus, Lutetiæ Pariſiorum reſumere, tum viuæ vocis oraculo, tum publico & Regio Diplomate ſanciuit. Niſi quis forte putat omnes illos, cum in adulta iam ætate pari animi magnitudine aduerſariorum iniurias pro ludicro habent, qua in ætatis flore adoleſcentiæ procacis ſannas habuerant; cum incredibilem in literarum curſu ardorem antea, nunc in Principatu conſtātiam oſtendunt, cum eodem vultu triumphalem imperii currum conſcendunt quo ante, cum in ephæbis eſſent, ſuorum coæuorum familias ducebant, tunc primum eos tam admirabilem animum induere, cum res gerendæ ſunt; omnia iam pridem in adoleſcentiæ rudimentis, in ſcholarum Gymnaſiorumque diſciplinis velut in athletica quadam palæſtra præludentes, prouiſa atque meditata habuerūt. Noſtræ enim Societatis Doctores protritum in ſpeciem, at ſaluberrimum formandæ iuuentutis & non ad literas

modo

modo; ſed ad mores etiam ac pietatem erudiendæ munus ita ſibi depoſcentes, vt ad maiorem Dei Opt. Max. gloriam malint cum paucis adoleſcentibus delitescere, cum iisdem ſub tecto exiguo æſtatem atque hiemem perferre, quam ad ſplendidiſſimum quoduis munus adhiberi; illi, inquam, in his ipſis non obſoletam iterum Stoam aperiunt, non Timonis olent allia, non Diogenis naſturcia reuocant, multo minus Epicurei hortuli delicias inſtillant; ſed frugale conſectantur Lyceum; quod vt plenam, ſolidam Sapientiam, ita puram putam virtutis auram in auita Germanaque fide fundatam exhalat, cuius deinde odoribus recentes teſtæ paulatim imbutæ, veteres autem perfuſæ, veternoſi ſenſim fermenti acorem deponant. Et vero ipſa illa, tam quæ literaturam, quam quæ Philoſophiam amplectitur, Sapientia, non inſcia ſuæ cæleſtis originis, cernit haud dubiè quibus è fontibus ampliſſima illa doctrinarum flumina promanarint, per quæ toto Chriſtiano orbe tam multi aſſiduè ſummo ingenio viri nauigarunt, hodieque nauigant. cernit etiam ſe velut ſpolium profanæ multitudinis iam olim Ægypto eiurata manumiſſam, adeptamque ius non ſolum ingenuæ libertatis, ſed prænobilis etiam adoptionis, qua in familiam Eccleſiæ Chriſti Sponſæ tranſiens non per æs & libram, ſed per iuſtitiam & veritatem à fiduciaria Matre coëmpta eſt; recolit item ſe ſumma cum dignitate præpoſitam Venatoribus, non quales apud Ætolos ad aprum illius regionis vaſtatorem perdendum complures etiam Principes viri conuenerant, cum inter Ætolos & Arcananas crudele bellum exortum eſt,

Ob caput atrocis villoſaque tergora porci:

ſed qui cum fidei Orthodoxæ pareant, homines ex errorum latibulis tãquam feras excutiunt, & veritatis lucem, ſicubi rerum difficultatibus tamquam frondibus inumbrata

brata

brata sit, patefaciunt; ac denique nullum pro Religione auita, non si per niualia Caucasi iuga, aut feruentes Lybię arenas gradiendum sit, laborem subterfugiunt. atq; hos iam olim Sponsæ suæ paranymphus promiserat, egregii Vatis Ieremiæ voce futurum canens, vt quamplurimos quandoque Venatores mitteret, quorum id munus esset, mentes hominum errore captas & homines ipsos ferarum more degentes de omni monte & de omni colle & de cauernis petrarum venari. Hanc igitur iustitiam pietatemque, sine qua Sapientes inueniri haud paullo difficilius est, quam sine Consilio IC^tos, sine thyrso Bacchos, sine frigore niues, nostri instituti est teneris mentibus cum Philosophia & cætero doctrinarum apparatu instillare. meminimus enim Paulum in vtroque versatissimum, seriò monuisse, vanam Philosophiam sedulò esse cauendam; vana autem & inanis est, non tantum quæ sanæ fidei, sed etiã quæ virtutis, quæ integritatis, quæ Christianæ caritatis est expers; sine qua inflans scientia vanitatem duntaxat generat & inanitatem; quem scopulum vt euitemus, nõ solum ipso Societatis instituto, sed Scholasticorum etiam nostrorum legibus, tot ad pietatem qua priuatæ qua publicæ cohortationes, tot catecheses, SS. mysteriorum, Exomologeseos quot mẽsibus, SS. Eucharistiæ, solemnioribus diebus, Sacræ Liturgiæ quotidianæ frequentationes, Cœtuum piorum, tum Deiparę Sapientiæ Incarnatæ Genitrici, tum cælestibus Spiritibus dicatorum congressus, collimarunt. Nimirum Duces huiusce instituti sequimur vel ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio Pantenos, Clementes, Origenes Alexandriæ, ad Orientem Basilios, Benedictos ad Occasum, Gregorios Magnos in Latio, Venerabiles Bedas in Britannia, Rabanos in nostra Germania, Sanctissimos iuxta doctissimosque Ecclesiarum Antistites, qui publicis, quibus distinebantur fun-

Iere. 16. 16.

ctionibus

ctionibus tantisper conquiescere iussis, ad iuuentutem tum literatura, tum probatissimis moribus efformandam sese appulerunt. quorum deinceps exemplo accurabant Præfecti monasteriorum, vti ne sæculum sterile atque effætum haberent, Professores alerentur Viri è D. Benedicti cumprimis disciplina excellentes, quorum auditoria lectissima eiusdem ordinis iuuentute stipata, & præstantissimis erant ingeniis referta; qui vbi ad maturam virtutis doctrinæque frugem effloruissent, inde in alia Cœnobia, velut in Colonias quasdam eximio pietatis vbique fructu & Religionis incremento propagabantur. Atq; vtinam hæc tam præclara maiorum instituta proximè superioribus sæculis retrolapsa non fuissent; nunquam eas clades ac vulnera in publicam vsque perniciem neq; Cœnobia, neq; Christiana Religio tolerasset, quæ nunc vna Tecum, Serenissime Princeps, Alsaticorum Cœnobiorum Archimandritæ tanta cum omnium laude instaurare certatim contendunt. Ergo infernus ille prædo, quicum nemo bonus pacisci vnquam potuit, extrema rabie vesanus, facto in nos impetu per tot venena, quot hæreticorum ingenia, per tot aspides, quot linguas calumniatorum, plusquam nouercale odium, vti quondam aduersus alias Deo Sacratorum hominum familias, ita hodie in Societatem mox à primo eiusdem exortu magna semper hostilitate violentiaque deprompsit.

Capvt II.

SOCIETATEM IESV HAERETICIS TVM OB ALIA, TVM MAXImè propter functiones ACADEMICAS exosam esse.

Qvo in genere Clemens Alexandrinus rectè obseruauit, technam hanc propriam esse hostis generis huma-

humani, vt quoties veritatis doctrinã adulterare nititur, sycophantas excitet, qui veræ doctrinæ defensores calumniis oppugnent, eosque velut fundibularios præmittat, antequam in iustæ pugnæ faciem rem decernere adgrediatur. itaq; secundum illud Hieronymi hi maledictorum pannos hinc inde consuunt, & eorum carpunt vitam, quorum doctrinæ vident se resistere non posse. Tenuit hoc fraudum genus paganos quondam Christianæ fidei atque Ecclesiæ nascentis cunabulis infensissimos, cum factiosi & turbulenti homines teterrimas suas machinationes, parricidia, insidias, cædes, aliaq; id genus nefaria flagitia, in Christianorum integerrimos mores & ab omni cuiusque facinoris suspicione, nedum affinitate intactos conflarent. verum istius quod dixi artificii ante omnes hodiernis Nouatoribus palma concedenda videtur; quorum è schola quotquot prodeunt, obseruarunt viri graues sic institutos, vt nullo ordinis, gradus, siue conditionis discrimine, maximum iis vulnus facere conarentur, quos fidei ardore anteire cæteros, ingenii exercitatione & contentione laboris doctrinam sanam propugnare, vafritiem hostium detegere, prodere inscitiam, atq; in his velitationum studiis Ecclesiam Orthodoxam, qua possunt, propagare animaduertunt. Atq; vt quæstiones Arnaldinas, sicas tragicas, Catechismos Iesuiticos, aliasque id genus mendaciorum strues & per triuialium ora detritas Milesias fabellas, quas præstat silentio sepeliri, in medium hic non congeram; quid illa tempestas inuidiæ nuper exorta, cum magni Francorum Regis animam Orbis Christianus obstupuit, & indoluit

Sic læso de corpore raptam;

vbi tametsi teneretur autor, & flagrantis parricidii vestigia nō iam oculis sed manibus deprehensa calerent; post viuidam quæstionum vim & spectata exquisitorum cru-

ciatuum

Hier. ep. 68

ciatuum in reum confessum exempla, post tot modos viasq; postulantium inquirentiumque, vt ne in vno capite tāti facinoris conscientia quieuisse crederetur; cum in his omnibus materiam quæstioni decessisse acta ipsa nobilissimæ Curiæ docerent, volant nihilo minus in publicum famosi libelli, præscribuntur noui accusatorum tituli, ipsa nostra Societas vanissimis commentis & mendaciloquiis postulatur. & quia

Humanum genus est auidum nimis auricularum,

cupidissimis auribus calumniæ sectariorum hauriuntur, schedæ falsitatis indices longè lateque sparguntur (nempe quisquilias volantes & venti folia auidissime arripimus) at quo precio imposturæ? populo imposuistis, fabulatores visi estis, ventis Chamæleontem pauistis, odia, & inuidiam quantam licuit maximam conflare parauistis; & quia verè an falsò, pili facitis, dummodo noceatis, desideria certè ac spes quibus excidistis, hoc vestro petitionum atque insimulationum labore estis solati. Et olim quidem videre fuit Iulianos desertores, fœdissimos Copronymos, atrocissimos Leones, spurcissimos Iouinianos, pestilentes Vigilantios ex orco ad exitium Christiani orbis retractos, innocuum Religiosorum gregem ferro, flamma, maledictis vexare. at hodie nostri Nouatores pestilentissimis scriptis aduersus Societatem debacchantur; nec eo contenti, assumpto veritatis & Religionis, vt præferunt, fuco aucupioque, apud Principes viros id agunt, vt qui bonitate naturæ ad clementiam omnem & placabilitatem nati factique sunt, hi pessimis eorum institutis susurriisque efferati, & metu, odiis, peruersisque iudiciis imbuti, repente Atrei quidam, Etheocles, aut Phalares cum pessimis hisce monstris, tamquam Vlysses cum Circe & Calipso conflictati, & in belluinam naturam ex hominibus conuersi, eos efflictim oderint, quos si benè per-

noſſent, amore fauoreque complecterentur. nihil hic ad odium commemorabo; quin vel ipſis mancipiis hoc liberum fuit vt gemant, cum vapulant; & nemo tam eſt in ſeruum etiam iniquus, vt quem luctu afficiat, gemere nō permittat. Itaque cum Superioribus annis Imperii Princeps idemque Antiſtes, ad Epiſcopalem reipubl. clauum iuſtis Procerum ſuffragiis admotus, Societatem in quantamcunque ſubſidiarii operis partem aduocaſſet; hæretici apud præcipuos Imperio & Electione Principes, querimoniis ſuis id agere conati ſunt, vt Ieſuitas vrbe ac diœceſi procul arceri vellent; at illi quidem armata vi nihil attentare; grauem tamen omnes quaſi collatis Symbolis commonitoriam contexunt, manu ſingulorum & effigiata cera munitam, Ieſuitas omnibus merito terrarum oris inuiſos vrbe atq; diœceſi proſcribat. at vero egregiè cordatus Epiſcopus, minas minis, vt clauum clauo repulit; ſiquidem exaratis contrà literis reſponſoriis, quas Catholicorum Principum (qui opportunè ad priuata comitia illuc conuenerant) pari modo ſigillis Principum ſubſcriptionibusq; firmari curarat, tumore placidè compoſito, ſilētium hoſtibus impoſuit. Quod ſi fontem & capitalis odii cauſſam inueſtigamus, illam vel principem ipſorum confeſſione reperiemus, vel certè non poſtremam; quod fidei ac Religionis tuendæ propagandæque ſtudio, iuuentutem Optimarum Artium diſciplinis aduerſus dolos eorū & fraudes obfirmamus. Vident enim tot per Europam Collegiis ad hoc vel maximè inſtitutis, tantum honeſtiſſimorum Adoleſcentum florem erudiri. vident in florentiſſimis terrarum ac regnorum prouinciis Principes iuuentutis noſtræ diſciplinæ commendari; ſentiunt ſe pauciſſimos, qui è noſtra inſtitutione prodierunt, ſuis erroribus illaqueare. vident etiam & dolent ſpes ſuas ac vaticinationes eludi, neq; interire in Germania regnum, vt inſolenter vocare ſolent, Papiſticum; ex-

ſurgere

ſurgere potius, & quantumcumq; laborent contra, nihil referre,niſi ſtoliditatē; imò ipſam illam, quam omnibus diris deuotam vellent, Societatem, ex his ſcholis, transſcripta ſæpe noua tyronum ſobole,ſtabiliri. quorum plerique cum inter ciues ac tribules ſuos opibus, & honoribus, vel propter natales, vel ob virtutem ac Sapientiam florere potuiſſent,eò ſe ſponte demittunt, ad quod multi vix magnis prẹmiis propoſitis inuitari poſſunt.vident nos gratis erudire, non lucrum ſpectare,non mercedem,non dignitates, quod legibus & inſtituti noſtri decretis ſeueriſſimè cautum,vt hoc maiore fide & libertate Chriſtiana tam ſancto tamque neceſſario labore perfungamur; vti qui vnum Deum remuneratorem expectamus, præterea neminem. Vident etiam in Scholarum Gymnaſiis & Academiis vniuerſas doctrinarum copias, vel ad vitiorum & ſcelerum oppugnanda monſtra, vel ad cæcos hæreſeon atque errorum impetus ab Eccleſia propulſandos transferri. Dolet iis,eſſe cuſtodes qui hos lupos arceant, prodire paſtoricios canes ſibi admodum formidabiles, qui latratu & rictu lupos adoriantur; hos abactos vellent, vt in oues ſecurius pro libidine deſæuirent,& profligata fide Chriſtum etiam auitis ſedibus deturbarent. Ingemiſcūt ex his ipſis Sophroniſteriis emergere, viros doctrinæ gloria,& vitæ integritate eminentes,qui ſi abeſſent,iam liberè per Europam hæreſis & furor dominarentur,& diuinis atque Apoſtolicis decretis abolitis periſſet Eccleſia, Paſtores foro & bonis omnibus ceſſiſſent, marcuiſſent ouilia,& Echidna illa Lernẹa vulneribus ſuis fæcunda,ſcabie ſua nouarumque rerum prurigine totam remp. inficiente, pecus omne Dominicum internecione funditus deleretur. cum nunc ex aduerſo videamus, quæ immenſa Dei clementia eſt,confertam Sacrorū hominum multitudinē, templorū venerationem inſtauratam, diſciplinam Eccleſiæ refloreſcentem, priſcos ritus, diuinumq; cultū magno & pie-

& pietatis incremento,& Ecclesiæ splendore reuocatum. Et quid pleno veritatis meridie facem inferre pluribus laboro? cum testes habeamus totas prouincias, per quas nostra Societas diffusa est, tot Imperatores, Reges, Exarchos, amplissimas Ciuitates, quorum omnium, dum Collegia Societati constituerunt; ea vox est, Societatem iuuentutis erudiendæ gratia illis locis fundatam, vti in cuius honesta informatione spes omnis vberioris ætatis & vnicum rei communis, certumque præsidium positum sit. Quod si igitur, vt isti obtendunt, seditionum & motuum incentores, si turbarum faces, si tubæ seditionum, si crudeliores Turcis, si Phalaride, Scini, aut Busiride immaniores, si Germaniæ, si Principum & Imperii proditores, si rerumpubl. furiæ, si prædones publici, si omnium criminum rei sumus; quid Inuictissimi Imperatores, Patriæ Patres, Augusta illa tota Serenissimorum Archiducum Austriacorum Domus, potentissimi Reges, Illustrissimi Principes atque Antistites, illustres ordines, florentissimæ resp. in quibus viuimus, viuimus autem? imo vigemus, alimur, amamur, fouemur, & augemur; tãtis nos fauoribus prosequuntur? vt dum vos in pecualem, vt ita cum Ennodio loquar, stuporem peccati nebula oblimat, vestris opprobriis depressionibusq;, at aliorum laude, tametsi eam non captemus, gloriosiores euadamus? interim notus nobis Satanę veteratoris & Hęreticorum mos, vt qui cõscientiæ laude clarescunt, rei maiestatis proclamentur. Scimus Hilarios, Athanasios, Chrysostomos, Ambrosios, ipsum adeò Christum; Scimus nuper in Anglia Campianos, Briantos, Hartos, Tumsonios, Garnetos, Ogilbeos, felicissimos Orthodoxæ Religionis testes hoc scelere non conuictos, sed iniuriâ postulatos, mortem constantissime oppetiuisse. & sumus quidem ita in remp. animati, vt si ab nostro abitu salutem & tranquillitatem Imperii pendere cerneremus, operamque nostram in fide

Optat. Mileu. lib. 6. Cypr. ep. 7. lib. 4. Hilar. ad Constantium. Theodoret. lib. 1. c. 28.

in fide Catholica tuenda vel superuacaneam vel non necessariam arbitraremur; sponte nostra libentissimis animis de Germania in vltimas vsque terras, ad eos, qui alio ab nobis orbe dissiti sunt, commigraremus; quin si pax, si concordia, si fides fideiq; vnitas morte nostra redimi posset; sanguinem prius & vitam daremus, quam quidquam per nos patriam detrimēti accipere pateremur. cuius rei testes iam pridem & obsides gloriosissimorū Martyrum centuriam Societas nostra habet; quibus anno proximè superiore septem fortissimi huius temporis Machabæi Societatis nostræ Sacerdotes, in illa America vastitate per Tsitsimeros, post laboriosam & diuturnam xx annorum operam in superstitionibus euellendis positam, multiplici suppliciorum genere martyrio coronati accesserunt. & vero quid moribus, legibus, quotidianis functionibus, vitæque instituto aliud præferimus, quam patriæ iuuandæ, quæ nobis non minus, quam cuiuis aliorum cara est, voluntatem? cur natale solum, parentes, amplas sæpe hæreditates, honorum aucupia, clientelas, aliaq; id genus, quæ vulgus admiratur, sponte respuimus? quę nostra opera & feria, nisi deterrere à vitiis, animos hominum ad virtutes accendere, informare rudes, afflictis solatium, perditis salutem pro viribus adferre, hæreses doctrinæ integritate morumque innocentia refellere, & aduersus maleuolorum maleficorumque calumnias benefactis pugnare? Quamobrem sit contumax Sectariorum animus, & peruicaci falsæ Religionis insania petulanter exsultet, ac panicis nos terroribus suis belluarum ritu conturbare laboret; florebit interim Societas, quamdiu instituti sui memor quod agit, hoc aget, & tametsi certis temporum periodis, aduersariorum maleuolentiâ damna quandoque & clades sentiat; interuentu tamen lætiorum, vt iam sepe in Germania, Galliaque experta est; cumq; tot in nouo Orbe & vtrisque Indiis ex incognitis gentibus anima-

rum acceſſiones quotidie fiant, nec pauci per Septentrionem fraude nouorum dogmatũ perſpecta ab errore reſipiſcant, tot etiam per Academiæ & literariæ iuuentutis inſtitutionem Sacras Cœnobitarum familias, Clerum, Nobiles, & omnis ordinis homines videt refloreſcere; ſemet ſolatur & erigit, haud diuturnũ fore ſperans regnum ſectarum, quod & in ſe diuiſum eſt, & opera Sâtanæ, imo magiſterio ductuque excitatum ſponte ſua corruet: crebro etiam ab Iosve aliquo fortiſſimo Duce ad verbum Eleazari Sacerdotis egrediente & ingrediente, id eſt, pace belloq; rem fortiter ac ſapienter gerente, funditus euerſum atque exciſum eſt. Pergite interim, quando ita furori veſtro & errori lubitum eſt, atrocibus mendaciis, chartisq; infamibus nos quaſi fraudum ac proditionum architectos, Regum regnorumque inſidiatores proclamare, & virulentæ linguæ ſpiculis armati omnia in nos probra tamquam fel draconum euomite; illud certe efficitis, vt apud omnes, qui rem ſuis momentis æſtimare prudenter ſolent, nomen noſtrum, comperta innocentiæ fama, etiam renuentes maiorem in modum amplificetis. & vt hoc abeſſet, ſemper tamen vel ſolo temporis lapſu mendacium veritati, rationi furor, fucus innocentiæ, hæreſes & ſchiſmata Eccleſiæ tandem ceſſerunt.

Capvt III.

SOCIETATEM IESV AB PRIMIS INITIIS AD HANC DIEM PER SERENISSIMAM DOMVM AVSTRIACAM clementiſſimè in Germania ſuſceptam, defenſam, & per Orbem Chriſtianum propagatam eſſe.

Sed nouit Imperatoris noſtri omnia cœlo contuentis benigniſſima diſpenſatio manum obuiam famo-

ſis

ſis veſtris ad obtrectandum ingeniis opportunè exhibere. & quemadmodum fumus exiguum ignem obruit; idem tamen ab ingente ac luculenta flamma diſcutitur; ita nugiuendos iſtos & fumigerulos per vaſtum terrarũ Orbem latiſſimè coruſcans gloria Sereniſſimorum Archiducum diſſipabit; quos præpotẽs ille Deus tamquam imperium cum iis partitus, voluit hoc æuo velut pharos & ignes in hoc tempeſtuoſo mari, imò velut tutelaria quædam ſidera inter tot nubes nimboſque publicos collucere: quorum beneficentiſſimam voluntatem minima noſtra Societas ex eo tempore ſemper experta fuit, ex quo Paulus III. Pontif. Max. pontificali afflatu digitum Dei inibi eſſe pronuncians, peculiari eam diplomate ad annum M. D. XL. v. Kal. Octob. quo die feſtam Coſmæ & Damiani memoriam colit Eccleſia, collaudato eius inſtituto ſtabiliuit; quam deinde decennio pòſt, Iulius III. & qui conſequentibus annis Apoſtolico imperio ſucceſſerunt, ampliſſimis in eam rem Pontificiæ ſanctionis literis expeditis, tenerè fouendam, ampliandam, nouiſque copiis & priuilegiis corroborandam rati ſunt, quo vel currentibus calcaria admouerent, vel ampliorem de Chriſtiana republ. benemerendi materiam exhiberent. Et vero primis natalium ſuorum exordiis ſub CAROLO V. Auguſto Magno Patruo Tuo, SERENISSIME ARCHIDVX, primum in Germania inter obſoleſcẽtis fidei Orthodoxæ detrimenta, per PETRVM FABRVM Allobrogem Theologum admiranda vitæ innocentia, & vnum è decem primis B. Ignatii diſcipulis, apparuit, dum is Petrũ Ortizium excellenti virtute doctrinaque Cæſaris Oratorem ſequeretur. Hic igitur pro Societatis inſtituto, concionando, magnorumque virorum partim noxas expiando, partim animos piarum commentationum ope expoliendo, ſub Auſtriaci Sideris tutela viam tacitus communiuit, qua in Germaniam Societas penetraret. Nam & Wormatiæ indicto

Societ. IESV confir. ann. 1540.

Hiſtoria Societ. to. 1. variis libb.

Ee 2 con-

conuentu Procerum Imperii, cum Andreas Schmidelinus per infelicem concordiam cuiusdam fidei formulæ, nouas hæreſes comminiſceretur, meruit à ſæculo noſtro irrideri, dumque

Aut Fabrum forceps aut ars indocta fefellit,
Εἰρήνην voluit cudere; cudit Ἔριν;

& Ratisbonæ poſtea idem noſter Petrus Faber cum Petro Contareno Pont. Max. Legato, Cęſare adprobante Theologi vices functus, cum aliis rebus, tum Ioanne Cochlæo acerrimo Quinti Euangeliſtæ antagoniſta, rerum cæleſtiū commentatione, ad fidem quoad poſſet defendendam inflammato, memorabilis extitit. Adhæc Spiræ in Comitiis cum idem, ceu ardens quædam lucerna, animos etiam Magnatum inflammaſſet, expetitus à Cardinali Alberto Moguntino Archiepiſcopo, Moguntiam venit, tantumq; doctrinæ & innocentiæ lumen ad Rhenum quaquauerſum diffudit, vt complures (quod è literis Colonia miſſis à Gerardo Cartuſiæ Rectore compertum eſt) pii viri deſiderium ſuum adeundi Petrum, & tamquam oraculum conſulendi palam facerent; vti quem diuino ſpiritu plenum animaduertiſſent. neq; diu eos, pro ſuo erga omnes adiuuandos ardore moratus eſt. nam cum Martinus Bucerus ex Monacho apoſtata, olim Heidelberga profugus, vnius Franciſci Sickingii fretus patrocinio, & duplici inceſtu infamis, Argentina Coloniam à factioſorum turba accerſitus, plebem Agrippinenſem Lutheri veneno intoxicare laboraret, Clerus & Profeſſores Academici turbulentis concionibus auditis, Petro Fabro expertæ iam ſoliditatis Theologo adhibito, Bucerum in publicæ diſceptationis arenam euocarunt, quam cum ille detrectaret, Petrus nihilominus conſcripto antididagmate, hominis peſtilentis ſupercilium luculentè repreſſit. Sub eiuſdem etiam Caroli V. Auguſtali ſipario alter è decem primis Societatis

cietatis IESV alumnis CLAVDIVS IAIVS Gebennensis Theologus, vir ob integritatis doctrinæq; famam præclarè apud Austrios primum, deinde Bauaros ac Sueuos de Christiana Religione meritus est. qui posteaquam relicta insigni opinione sanctitatis, Ingolstadianæ Cathedræ dignitatem Ioannis Eckii successor, egregiè sustinuisset, Concilium Tridentinum frequentasset; Viennam exinde vocatus, recusato Tergestino Episcopatu, quem ei FERDINANDVS Romanorum Rex obtulerat, erigendi Collegii domusque Dei instaurandæ zelo, prima ibidem Serenissimo Rege ita iubente, Sociis fundamenta iecit. Extant vero hodieque publicis literarum notis expressa B. Ignatii ad Serenissimum Regem monumenta, quibus & Societatis & Iaii nomine, productis grauibus rationum momẽtis, Præsulatum, quem Iaium suscipere sæpius Ferdinandus iusserat, deprecatur, Oratque vt quando tota cum eo nouella Societas in Serenissimæ illius Clementiæ sinum confugit, eiusque se fidei ac patrocinio dedit, Sua Maiestas pro Regia sua benignitate ac Religione ab nobis talia propulset arceatque discrimina, vnde certum sit Societati nostræ exitium imminere. Quid vero dicam de exundante illa summi amoris dignatione, qua idem ille Augustus Rex PETRVM CANISIVM, qui primus è Germanis Societatẽ IESV iniit, complecti dignatus est? quemq; sexcentis hæreticorum petitionibus machinisque vna cum Nicolao Bobadilla tamquam columnam ferream opposuit; vti cuius verba quasi ignem, & quasi malleum petram conterentem censuisset. Cuius etiam, vti & Sociorum doctrina, vitæque innocentia mirificè captus, cum eorum operam in felici Viennensis Collegii fundatione vtilem prospexisset, apud Pontificem Maximum, & Societatis Parentem B. Ignatium egit, vti Pragam, ad Bohemorum Metropolim

Canisium destinaret, quo domicilio Societati constituto, Bohemiam Hussitarum furore laceram pristinæ redderet tranquillitati. Summam deinceps doctrinæ Christianæ, suo iussu & autoritate per Canisium in vulgus editam, velut compendiarium hæreseos obicem, non solum regio fauore prosecutus est; verum etiam, vti Princeps verè Catholicus, tum ad studia impietatis profliganda, tum ad iura Sacrosanctæ Religionis retinenda, Cæsareo edicto cauit, Canisii Catechismum, præterea nullum, in Scholis per prouincias ditioni suæ subiectas prælegendum ediscendumque ab Christiana iuuentute curarent. vt ex illo tempore omnium ferè Gentium linguis maximo fidei bono Canisius loquatur. Quibus amoris Regii significationibus ita commouebantur hæretici, vt cum se voce, stilo, & vigilāte Canisii studio ab Christi ouilibus arceri cernerent, per ludibrium, vt ipsi quidem arbitrabantur, CANEM cum AVSTRIACVM compellarint. Sed hic noua iterum B. Ignatio Canisioque pugna cum Ferdinando Augusto fuit; nam cum vario quidem conatu per Iacobum Lassium suum Romæ Oratorem Rex tum apud Pont. Max. tum apud Societatis Parentem; sed irrito successu, vti Canisium ad Viennensem Cathedram euehi pateretur, vrgeret; illud tandem exorari se B. Parens noster passus est, vt anni vnius administrationem in Præsulatu illo Canisio permitteret; sic tamen, ne quidquam de annuis Episcopatus redditibus, in suum aut cuiusquam de Societate vsum attingeret; quin vniuersa per fidos probosq; viros in sola pietatis opera erogaret. Nec minorem Tirolensibus curam optimus Cęsar impendit; apud quos, ne quid religio detrimenti caperet, Collegiū item Sociis constituit, annuoq; prouentu regiè Princeps religiosissimus stabiliuit. At quonam honoris titulo insignem fecero, quonam elogiorum ordine PHILIPPVM II. magnum Hispaniarum Indiarumque Regem,
Caroli

Caroli V. Filium collocâro? cuius multiplices & regiæ virtutes in tot sese partes fundunt, vt nullus sit in quouis genere locus, quem non ille occuparit; cuius in populorum sibi à Deo commissorum vigilantissima gubernatione, iustitia, continentia, æquitas cum immortali Austriaci nominis fama Christianas prouincias latissimè longissimeque dissitas compleuerunt. cuius gloria tam alte ascendit, vt neque cuiusquam oratio quidquam ei laudis addere, neque silentium demere posse videatur. Sicut tamen CATHOLICI REGIS titulus in Orthodoxa Religione omnibus humanis rebus excellentior habetur; ita incomparabilia in SOCIETATEM adeoq; ECCLESIAM promerita, quæ ille in longè remotissimas regiones per immensa terrarum & marium spacia, innumeris prope nationibus, quibus pro tecto cælum, pro domibus antra, pro strato solum, pro Deo dæmon erat, ab immani ferarum vita execrandisque cacodæmonum superstitionibus ad vnius veri Numinis cognitionem ac cultum traducendis, Regia munificentia contulit, merito illum optimis Societatis nostræ Parentibus inseruerunt; illiq; tanto celsior gratiæ quidem in terris, gloriæ vero in cælis locus debetur, quanto immensius ac diuinius Augustæ virtutis opus fuit, nō modo nouum orbem inuenisse; sed inuentum iam legibus, institutis, variisque Artibus, & quod caput est, Orthodoxa religione, quæ humanæ salutis fons est & parens, præclaro consilio instituisse. Quod si laudatur Caroli V. Augusti Parentis elogium Austrio Cæsare dignissimum, quo, cum Mauris ad Algeriam depugnaturus, vbi exercitū suum loco accliui, salebroso, & ob aduersas ventorum tempestates iniquo consistere videns, receptui canere iussisset, multis contra nitentibus; respondit; malle se vnum Christianum seruare, quam mille Mauros, mille Turcas, totidemque Pænos

Zendr. in vita Caroli V.

Pænos perdere; quæ non inusitata laudum præconia conquirenda essent, si dicta huic facto Philippi verè Carolinæ virtutis hęredis coæquare aditerer, qua tot Christianorum millia, per Hispaniam, Lusitaniam, cæteraque regna & subiectas ditiones, vel hostibus erepta, vel recuperata, vel Deo & Ecclesiæ conciliata seruauit? tot Maurorum, Indorum, Turcarumq; animis Satanæ abstractis, Rex omnibus modis, vt verè maximus, ita Religiosissimus Societatis nostræ minimæ opera in eam rem magna dignatione aduocata, tot eidem vtroq; Orbe domiciliis fundatis, dotatisque salutem dedit? Quare nos Regiæ illi menti, quam cœlo adscriptam, vita nō religiosè tantum & innocenter, sed etiam sanctè acta persuadet, quam vnam possumus gratiam stilo atque elogio persoluimus; cuius hæc semper erit clausula; cæterorum ferè hominum merita & nomen angustis Herculei freti terminis includi; Philippi Regis beneficia vtrumque orbem complexa neque vllis coërcita terrarum finibus; omnia cœli climata, tractusque regionum amplitudine sua complexuisse. Sed iam ad fastidium inornatæ dictionis deuitandum contrahenda oratio est. Dicerem alias Maximilianum id nominis II. tum alias Societati addictissimum, tum vero maximè, quando eam aduersus rebelles nonnullos ea in vrbe vbi ipsa domicilium habebat tutatus est, literisque Ratisbona XVI. Octobr. anni CIↃ. IↃ. LXXIV. datis cauit, ne nostris, & studiis Academicis molestiam negociumque facessierent. non silerem Serenissimum Tuum felicis recordationis Parentem Carolum. nō Parentis ad cœlum euocati loco Tutorem, & Patruelem RVDOLPHVM II. Aug. non Inuictissimum Matthiam nunc Augustum. nō Serenissimum FERDINANDVM BOHEMIÆ, & dum hæc scribimus, benè ominatis rei Christianæ auspiciis, HVNGARIÆ REGEM,

Germa-

Germanum Tuum; non ALBERTVM & ISABELLAM, Sereniſſimos Belgarum Principes, non MAXIMILIANVM Supremū Teutonici Ordinis Principem, eundemque Tirolenſem & Alſatiæ Superioris Adminiſtratorem conticeſcerem, omnes vt Patriæ Patres, ita Societatis Amantiſſimos Patronos; ni ampliſſima eorum beneficia tam arctis finibus comprehendere vererer; & pro noſtris dictis eorum facta loquerentur. Etenim quibus non locis varia, eaq; ampliſſima Societati domicilia regiis prouentibus ſtabilita condiderunt, vel adiuuerunt? quoties Collegiorum, quibus pertenue vectigal eſſet, dotem amplificarūt? quoties per interualla, vbi compererant res domi anguſtas, foris aſperas, æs ſæpenumero alienum perſoluêre, remque familiarem ex vltima quadam paupertate ad honeſtum ſtatum erexerunt? longum ſit iter ad omnia; ſi quæ Hiſpaniæ, Germaniæ, & remotiſſimis terrarum regnis æterna Sociorum memoria recolenda, beneficentiæ Auſtriacæ monumenta paſſim relicta ſunt, numerare velim. quam multa ex adoleſcentibus contubernia ad Catholicę fidei propugnaculum excitata Societatis legibus adminiſtranda tradiderunt? quoties aduerſus ſubdolas hæreticorum, & vel inuidorū vel Sycophantarum cauillos, infamiaque probra, Optimorum Principum decretis & ſubſidiis, Pragæ, Glacii, OEniponti, Olomucii, à Deo & Societate victoria ſtetit? vt non minus de noſtra illi exiſtimatione, quam nos ipſi ſolliciti eſſe viderentur. non attollam ſecunda oratione facillimos noſtrorum aditus, non humaniſſimos Sereniſſimorum Principum congreſſus, quibus crebro tecta noſtra magni hoſpites non ambitioſo comitatu, ſed ambiendo affectu exoptatiſſimi ſubire dignati ſunt, nō ſermonibus noſtris voluptuoſam quandam vereq; paternam patientiam impertitam, non externa quæ detulerunt commoda, non iura, non immunitates, quibus aucti ſumus, non honorifica iudicia, quæ

de hoc Ordine semper fecerunt. quæ si animo repetamus, plura citra omnem dubitationẽ ab Serenissima Domo Austriaca ad nos profecta reperiemus, quam si ex hac ipsi familia prodiissent. Et vide amabo, SERENISSIME PRINCEPS, quam nihil à me hactenus exaggeranter de effusa illa Sacratissimæ Domus Austriacæ beneuolentia peroratum sit; cum è XXXII. Prouinciis, in quas more institutoq; maiorum, vniuersa nostra IESV Societas per vastissimum terrarum Orbem ad vsque Antipodas tributa est, XX. facilè, sub felicissimo Austriacorum moderamine contineantur; ex quingentis & vndesexaginta domiciliis per hasce prouincias dispersis, CCCLXXI. partim ab Serenissima Domo Tua posita, partim sub eiusdem patrocinio collocata sint; ex terdecies millenis, centum & bissenis Sociis, qui Deo in Societate famulamur, (quorum quidem hoc anno labente numerum initũ reperire potuimus;) supra octies millena, dena & octo capita in variis Austriacæ Familiæ ditionibus, indulgentissimo non tam Principum, quam Parentum amore ac serenitate tuti degamus, quorũ omnium vota in Vestram salutem ita conferuntur, vt nemo fere pro se intercedat, quin potissimam precis suæ partem pro Vestra incolumitate apud Deum Opt. Max. interponat. Vestræ namq; beneuolẽtiæ aura velificantes, nihil maleuolorum turbines sinistra omnia & læua occinentes reformidamus; sed Alcedonia nobis promittimus, tamque tranquillum mare, quam est illud olim, cum Alcedo pullos educat suos; vnde non ab nostris tantum, sed etiam ab exteris inter cætera Augustalium decorum elogia, illa quoque, publicæ salutis Propugnatorum, libertatis Assertorum, & quietis Fundatorum merito reportatis.

Catalogus Prouinc. & Domorum Societ. postrema edi. Augusta.

CA-

CAPVT IV.

SOCIETATIS IESV IN ALSATIAM EVOCATIO, FVNDATIO, ET vſque ad tempora SERENISSIMI LEOPOLDI progreſſus.

QVIS enim cum M. Tullio illam animi celſitatem & magnitudinem non extollat, quę Optimos Principes præſertim & Heroas inuitat, vt exoptent pro omnibus Gentibus, ſi fieri poſſit, iuuandis & conſeruandis, maximos labores moleſtiasque ſuſcipere, & vel Herculem illum imitari, quem beneficiorum memoria immortalibus adſcripſit, vel Epaminondam præclarũ Thebanorum Principem, de quo ſcriptum extat, cum Thebani diem feſtum agerent, vinoque ſoluti ſine cura iacerent, hunc Principem ſolum vigilaſſe, & armatum concurſaſſe; cumq; familiaris ſciſcitaretur, an ſolus voluptatis publicæ expers ageret; ita ſanè, reſpondiſſe; namque muneris eſſe ſui vigilare, vt ciues dormiant; à vino abſtinere, vt illi ſine metu perpotare queant. Atq; huius virtutis & communis beneficentiæ decus eximium in Chriſtiana rep. clarius exprimere verè Catholici Principes & Magiſtratus ſtuduerunt, qui opes quas vel poſſident, vel colligunt, non tam ſibi, quam patriæ congerunt, & in rerum adminiſtratione non tam de ſuis commodis, quam de reipub. ſalute, deque Chriſtiana Religione, qua vna vera ſalus nititur, cogitant; vſque adeo, vt dum ciues tranquilla pace & ocio honeſto frui queant, ipſi labores ingentes libentiſſimè tolerent, & vt ſubditorum æternam ſalutem propagent, ſponte ſua ipſi vitam etiam in ſummum ſalutis periculum adducere non vereantur. Vnde

Plutarch. in Epamin.

& ipsi hoc consequuntur, vt vbi constiterit tanta eorum esse merita, & præclara beneficia in Christianum populum existant, ab omnibus & mirifico colantur honore, & eximio amore comprehendantur, vt nemo Ciuium non paratus sit pro istiusmodi Principum salute & dignitate fortunas, opesque profundere, & quoduis etiam vitæ discrimen adire. Sane Alexandrum Macedonem meminimus, cum viuens maximis vbique encomiorum laudibus in cœlum eueheretur, dixisse quandoque, cupere se cum in viuis esse desiisset, post aliquot temporum spacia ideo ad terras redire, hoc solum periculum facturus, num post mortem quoq; illum tam honorifica celeberrimi nominis elogia sequerentur. Eo nos metu Te, SERENISSIME PRINCEPS, liberamus, quando Optimorum Collegii huius iam vita functorum Parentum gratissimam omnibus memoriam ad præsentis gaudii demensum repetimus; ne memoriam eorum, quorum in ipsis Collegii constituti primordiis liberalitatis & beneficētiæ fructum adhuc quotidie in oculis ferimus, exuisse conuincamur, quibus nullū tribuisse studium, & animi esset in vita functos parum grati, & agrestis cuiusdam magnorum meritorum oblitionis. Itaque cum sub annum depulsæ per Christum natum seruitutis M. D. LXIX. Erasmo è Comitum Limburgiorum familia, vita functo, IOANNES ex Illustri MANDERSCHEIDTIORVM COMITVM prosapia, magna omnium bonorum gratulatione subrogatus fuisset, & ad huius Nobilissimę Sedis amplitudinem ac gloriam, atque ad res magnas in imperio pro Religione & Dei gloria fortiter Sapienterque gerendas magna illi Deus præsidia ingenii & virtutis adiunxisset, ea profecto non auarè in Ecclesiam ipse suam refudit: nec minorem sibi apud cœlestes gloriam, apud terrestres famā peperit, quam superioribus annis ex eadem domo Guilhelmus, qui Prumiense, Stabulense, & Malmundariense, amplissimi

IOANN. ex MANDERSCHEIDTIORVM Comitum prosapia EPISC. ARGENT. Collegii Molshem. FVNDATOR.

plissimi

plissimi nominis monasteria obtinens, Sapientiæ, virtutis, prudentiæ ciuilis, Religionis, aliisque animi dotibus eximius, operâm suam in Senatu Imperii, Maximiliano & Carolo inprimis commendarat. Cæterum cum in difficillima & Nouatorum motibus turbulenta tempora incidisset, cum animo suo reputans, quantam vim ad priscos mores reuocandos, & temeratæ Religionis damna sancienda, nec non ad tuendum antiquę pietatis splendorem educatio institutioque iuuentutis obtineret, vt scilicet inde remedium publicis moribus animisque depravatis existeret, vnde Sacrorum omnium labes atque pernicies obrepserat; sapienter ad instituendum Ingenuarum Artium Gymnasium ac pœne iacentes in Alsatia literarum disciplinas excitandas euigilauit. creuerat, &, quod ante insinuaui, sub Serenissimorum Austriadum tutela, paruis quidem initiis olim enata, sed diuinis mox incrementis longè lateque per Germaniam sese diffuderat Societas Nostra, cui statio in ordine Cleri partim OEcumenici Concilii Tridentini autoritate, partim volente & approbante Christi Vicario est attributa. Huius ergo disciplinæ atque instituti homines vbi comperit Princeps, pro sua quidem virili parte ad affectas iam pridem Christianæ reipubl. res subleuandas opem industriamq; conferre, & præter vsitata Sacramentorum præsidia, animorumque sedulam ac quotidianam tractationem, pueriliis etiam ætatis doctrina imbuendæ, & Christiana virtute, quod caput est, excolendæ munus sustinere; zelo Religionis, & Optimorum tum Impp. tum aliorum Imperii Procerum exemplis permotus, gratum ei optatumque fuit, in sua quoque Diœcesi, adeoque in Germaniæ luce Societatis IESV homines spectari, qui tradēdis æquè pulcerrimarū Scientiarum & certissimę Religionis institutis, prauisq; hęreticorum erroribus refellendis, sua in ditione dignitatem locumque tuerentur. Quamobrem datis li-

teris primum quidem ad HERMANNVM TYRÆVM Nouesiensem Prouinciæ Rheni Præpositum, anno salutis septuagesimo nono supra sesquimillesimũ, ac eiusdẽ haud multo post Successorem FRANCISCVM COSTERVM Mechliniensem nota eruditione vitæque integritate virum; eorumdemque monitu ad EBERHARDVM MERCVRIANVM Societati Vniuersæ id temporis Præpositum Generalem, primo quoque tempore Socitàtis IESV alumnos accersendos, & ad perpetuum in ditione sua domicilium inuitandos existimauit. P. Mercurianus accepta Principis voluntate, quod Societatem ipse perhonorificè missis literis expetiuisset, eiusque ad immortalem Dei gloriam propagandam pertenui infirmaque opera vti iam certum haberet, id vero gratum sibi iucundumque accidisse respondit. dedisseque in mandatis Præposito Prouinciali, vti Illustrissimum Principem cum spectata virtute doctrinaque Sociis adiret, quicum de constituendo domicilio coram agere, & alia quæ ad salutem Ecclesiæ mente complexus sit, negocia communicare possit. Ergo sub annum M.D.LXXX. IACOBO ERNFELDERO è Nemetum ditione, primo Collegii Rectore constituto, Scholarum initium VIII. Kal. Aprilis datum est, iuuentute, quæ non tam numero, quã flore & indole æstimaretur, adcurrente. Mox anno sequente, domum, quæ nunc horto ad Meridiem adiacet, ponere adgressus, Idibus Martiis, (quę superiore anno Sociis primi in Alsatiam & hanc domum ingressus aniuersariæ fuerant,) angularem fundamenti lapidem, sua ipse manu solemni cærimonia collocauit; illudque palam cõtestatus est, nihil se in hoc opere aliud, quam Dei honorẽ, Ecclesiæ Catholicæ decus, & nostræ Societatis suæq; Diœceseos commodum spectare.* Ex quo tempore quantopere hoc Collegium indulgentissimus

tissimus Parens ac Princeps adamârit; idoneis verbis explicari non potest. nam in summa annonæ caritate Collegii fabricam absoluit, & inopiam Collegarum frumento, variaque tum domestica & libraria, tum sacrá suppellectile leuauit. insuper domum cum templo Sacelloque Deiparę Sacro, veteri illo quidem, sed ob loci sanctitatem multis abhinc sæculis frequentissimis Alsatarum supplicationibus celebri, attribuit; voluitque publicum donationis diploma extare, quo cõstaret fundum, Collegium, templumque ipsum, vnaque domum hospitalem, cum vniuerso annuorum redditūum prouentu, consentiente & vero etiam adprobante Illustri Procerum Cathedralium coronâ, optimo donationis iure Societati transscribere; adiutantibus fauore eximio, & subscribentibus Illustribus Heroibus, Christophoro Ladislao Comite à Nellenburgh & Domino in Tungen, Argentinensis Ecclesiæ Præposito, Amplissimo item & Illustri Domino Arnoldo à Manderscheidt & Blanckenheim Scholastico, R^mi & Illustrissimi Fundatoris Fratre Germano, & Ioanne Comite à Salm Domino in Riefferscheidt Camerario, qui totius Collegii nomine, cum Principe communi diplomati sub annum M.D.LXXXII. die Virgini Deiparæ Cognatam visitanti Sacra, in Arce Dagstein confecto, stipulata manu subscripserunt: GREGORIO deinde XIII. Pontifice Maximo, An. M.D.LXXXIV. Pontificatus sui duodecimo, V. die Kalendarum Maii factam donationem confirmante. Habetur etiam in manibus, eiusdem Illustrissimi Fundatoris alterum diploma, quod ann. M.D.XC. pridie Non. Decemb. dedit, cum hoc sanè peregregio Societatis elogio, constantis & intimi amoris indice; quod Societatis homines iuxta laudabile suum institutum à Sede Apostolica, ipsoque Sacro Oecumenico Tridentino Concilio approbatum *Cõcil. Trid. sess. 25. ca. 16.*

probatum

probatum, iuuentutem, quæ omnium Ordinum reipubl. Christianæ seminarium est, & à qua totius Ecclesiæ incolumitas pendet, non minus Christianis moribus quam LL. disciplinis indefesso labore singularique industria imbuant. neque fundis tantum auctisque vectigalibus Optimi Collegii Parentis gratam & vtilem sensimus humanitatem; sed preciosis etiam Sacrisque donariis mirificum quendam pietatis cumulum experti sumus. Nam præter cranii D. MATERNI primi Alsatiorum Apostoli partem, dimidii palmi magnitudine, celebrem venerandæ antiquitatis CRVCEM, quam in thesauro habuerat, Collegii templo consignauit. Longa est pedes XII. tota lamellis argenteis inauratis, variis item signis, ac lapidibus preciosis obtecta, cui multæ Sanctorum reliquiæ inclusæ creduntur; quam referunt annalium documenta, per Carolum Magnum Hierosolymis reducem Coniugi pro munere aduentorio donatam; eandemque deinde per Hugonem Burgundiæ Ducem Camelo impositam, permissa ei via quâcunque tenderet, demum ad Cœnobium Nidermünster ad montis Altitonæ radices deportatam. quæ nuperis hæreticorum furiis intercepta, sat magno ære redempta ex Harpyiarum vnguibus in auitam possessionem reuertit. Cumque secundis, ceu putabamus, rebus potiremur, vt sunt incertæ hominum prouidentiæ, VI. Nonas Maii Anno M. D. XCII. subita R^{mi} atq; Ill^{mi} Fundatoris mors in magnum non Alsatiam modo, sed etiam Collegium luctum & periculum præcipitauit. Siquidem hostes destitutam Vigilantissimi Principis funere Diœcesin & Illustrem Ecclesiam Patrono ac Præsule suo videntes orbatam, cum iam vim ante leges ferrent, & patefactam sceleri viam crederent aduersarii, denuo Argenti-

gentinenſem patriam in extremum Religionis & fortunarum diſcrimen adduxerunt. Quippe Satana rurſum zizania ſpargente, & diuiſis in contraria ſtudiis, cum pars altera Ioannem Georgium Ioachimi Brandenburgici Filium tutorem accerſiſſet; pars integrior & Catholici nominis, FRANCISCO DECANO BARONE A CRICHINGEN immortali laude viro, comitiis in diem v. Id. Iunii indictis, Tabernis Alſatiæ bono laudatoque parentum more, Carolum Cardinalem à Lotharingia Caroli III. Ducis Optimi ex Claudia Valeſia Regis Henrici Filia ſobolem, ad Lotharingicæ Gentis ſplendorem, & vicinæ Argentoratenſis Eccleſiæ ſalutem natum Principem, Brandeburgico oppoſuit. Quam iudicii Sapientiam, & ſuffragandi maturitatem ab cæleſti vtrique numine magno veræ fidei Zelotæ Franciſco ſubminiſtratam, euentus docuit non opportunam ſolum huic Diœceſi, ſed vel vnicè ſalutarem fuiſſe. Nam poſteaquam factio militari furore inflammata, in circumiacentem ſeſe populum infudit, dum exulcerati Procerum animi ſimultate odioque multifariam vtrimque diſtrahuntur, dum Proteſtantium Heluetiorum, Anhaltini, & aliorum male pacatorum Principum auxilia vndique accerſuntur; quis non actum de Molshemio, Alſatia, maiorum hæreditate, & vinea Domini Sabaoth conclamaſſet? ni Lotharingicæ ſupra omnem inuidiam eminentis Stirpis, cuius Sapientiſſimis conſiliis, religione, fide, atque inuicta animi fortitudine regnum Franciæ quondam incolume ſtetit, per ſuæ familiæ inſigne decus ſalutem in tempore attuliſſet. Itaque vt in iugis Ætnæ montis, vbi maximè vrit flamma, exoriri iuxta viridantes herbas & efflorеſcere dicunt; ita Caroli Principis iam matureſcẽs virtus inter ipſa bellorum incendia ſeſe in florem induit. qui ex Gymnaſii vmbraculis egreſſus ſub Annum CIↃ. IↃ. XC. honorifico Romæ de ſe facto iudicio, per Sixtum Pontif. Max.

CAROLVS LOTHARINGVS S.R.E. Cardin. EPISC. ARGENT. COLLEGII AMPLIFICATOR.

Cardinalitii fastigii insignia consecutus, post magnos ei omnium Ordinum habitos honores, amplissimæ prouinciæ munus accepit tres Ecclesias Cathedrales procurandi cum potestate Legati de latere; quod munus à Gregorio XIV. ipsi mandatum in Prouincialibus Ecclesiis, Tulli, Virduni, & apud Mediomatrices, quanta fidei, iustitiæ, zeli, & æquitatis fama gesserit, ipsius acta vitæ cumulatè loquuntur. Eiusdem itaque Principis præcipua laus hic enituit, quod vbi nullus iam consilio & autoritati locus superesse videretur, CAROLVS hic felicibus armis hostem ferocem fregerit, Vrbem Argentoratensem in officio esse iusserit, Ecclesiam defenderit, pacem reduxerit, tot feris Religionem incursantibus sæpem se interposuerit, & steterit oppositus, ne ferus aper eam tremefactam concussamque penitus dissiparet. Porro deformato iam Alsatiæ statu, in magna gladiorum impunitate, cum extrema subditorū bellis diuturnis clades emergeret; quo aliquem in hac tempestate velis remisq; cursum teneret, & ceu quidam Irenarcha pacem armis præcoleret, in concordiam tandem aliquam vtrimque partes coiere. Dehinc languescētem & opibus exinanitam Ecclesiam præsidiis inclytæ pietatis, fortitudinis, ac iustitiæ non erexit modo, ac recreauit; verum suo iam progressu superioris Antistitis vestigia premens, excellenter & ingentis virtutis gloriæque fama gesti Magistratus confessionem etiam hostibus expressit. nec tamen interim à Collegio exornando ampliandoque Princeps Optimus temperabat; siquidem Scholarum ædificium, quod ad Occidētem Collegii habitaculo aduersum est, & ad Meridiem Illustrissimi Fundatoris domicilio iungitur, inædificauit. Princeps, vt pace togaque felix, & ferreo isthoc sæculo belli non inexpertus, ita magnorum in Societatem & hoc Molshemēse Collegium meritorum copia, immortali nobis memoria recolendus. Habuitq; Academiam hanc condendi &

di & instituendi cogitationem, nisi eam in medio gloriæ cursu (Deo hanc Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, consummatæ beneficentiæ coronidem reseruante) immatura mors intercepisset. Siquidem ingenti omnium mœrore, quibus eius virtus, pietas, & animi fortitudo vel præsens inspecta, vel absens fando audita erat, morbi immissi vi diuturnâ, quassato corpore, ad patriam deuectus XXIV. Nou. pridie S. Catarinæ, Anno CIↃ. IↃ. CVII. Nancei omnibus diuinis præsidiis & Sacramẽtis rite procuratis cœlo, vt piè credimus, immigrauit. cuius immaturo excessu, Cathedrales quatuor Ecclesiæ, tum multæ quas vel instaurarat, vel aliunde accersitas fundatasq; regia magnificentia ornarat, Religiosæ familiæ, damnum ingens fecêre, sed & subtractum publici exempli decus, & quod huic loco proprium est, Episcopatui Argentoratensi, cuius CONSERVATI titulum & præconium apud Seros posteros promeruit, ingens vulnus inflictum. Corpus Nancei in primaria Æde funeratum, quam vt perennibus Sacrorum Officiis cumularat, ita eius erigendæ autor & potior pars merito ab omnibus colitur. Eum igitur nemini bonorũ dubium esse potest, illa tot regiorum munerum ac benefactorum remuneratione affluenter in illo beatarum mentium cælesti domicilio frui, quæ tot egenis, Deoq; dicatis hominibus benignissimè impendens, apud Deum in fœnus, sibi in thesaurum, immortalitatis memor, reponebat. In qua felicitatis sede beatam illam Caroli Principis animam equidem toties accessorio quodam, eoque haud vulgari gaudio, velut epimetro affici crediderim, quoties in hanc ab se relictam Argentoratensis Ecclesiæ orã prospectans, Te SERENISSIMVM SVCCESSOREM, quem hic viuens in oneris honorisq; partem adsciuerat, omnia illa immortalitatis opera, quæ ipse vel cogitatione, vel desiderio complexus erat, tam feliciter exequi; &, quæ maxima est gloria, se in concepta id

temporis tum de egregiæ in Deum & Ecclesiam munificentiæ, tum cęterarum Virtutum Austriacarum expectatione minimè falli contemplatur.

CAPVT V.

SOCIETATIS IESV SVB SERENISSIMO LEOPOLDO INCREmentum, coloniæque per Alsatiam deductæ.

ESTQVE hic vnanimis omnium bonorum in Orbe Christiano concentus, eam in Serenissima Domo Austriaca munificentiam erga Religiosos & literatos perennasse, vt iure optimo saluberrimis quibusdam fontibus comparari posse videantur, vnde in tot hominum milia sani consilii, recteq; sapiendi riuuli manarint. quorum gubernatio, cum in difficillima reipub. tempora incidisset, illi ad Religionem redintegrandam, ad instauranda literarũ studia, ad ipsum ciuilem statum stabiliendum, ad veteres omnium pœne rerum recrudescentes ruinas erigendas, eos sibi perpetua quadam tutela fouendos esse duxerunt, quos pro sua virili ad hoc conniti aduerterent, vt, siqua parte respubl. Christiana detrimenti aliquid cepisset, id sapientiæ, pietatis, religionis studio resarciretur. quæ res ista præclarissima nomina peperit, vt PATRES PATRIÆ, RELIGIONIS CATHOLICÆ DEFENSORES, CONSERVATORES CIVIVM, ORBIS TERRARVM DELICIVM, VRBIVM POPVLORVMQVE RESTAVRATORES omnium pœne gentium linguis appellarentur. nempe hæc est istorũ omnium effectrix & parens Sapientia, quam Regum omnium vt Sapientissimus ita fortunatissimus Salomon à solio suo

Regio nũquam abesse summis votis exoptabat; vti è qua pulcerrima illa & salutaris rerumpubl. omnium εὐταξία consequatur, quæ exuberantem bonorum vbertatem quasi è beatissimo copiæ cornu longissimè latissimeque diffundat; quæ deinde in ipsum quoque Regem perpetuo quodam amne refluens, aucto indies meritorum cumulo, reciproca inundatione redundet. Tiberium Constantinum Imp. pace & bello præstantissimum, inprimis vero in egenos & literatos beneficentissimum, cum multa quotidie pauperibus, nec pauciora doctis largiretur, ab Sophia Augusta obiurgatum, quod fiscum imperialem nimia in pauperes & doctos liberalitate exhauriret, respondisse accepimus; nunquam defuturam pecuniam, quamdiu vel pauperes stipem accepturi essent, vel literati reipubl. profuturi, addiditq; dignæ vocis oraculum; magnum esse thesaurum stipem pauperum. neque huic absimile Imperatoris Leonis effatum, qui ab purpuratis reprehensus, quod Eulogium hominem pium & eruditum ad ludum in vrbe aperiendum profusiore stipendio euocasset; quod in belli præsidia potius erogandum fuisset; respondisse fertur; nullam se à Deo maiorem felicitatem optare, quam vt omnes militiæ sumptus in literarum scholas & contubernia eruditorum profundere liceret. nec abs re fortassis erit, SERENISSIME PRINCEPS, Saluianum Episcopum Massiliensem hic produxisse, quem Eucharius virũ sanctitate & doctrina eminentẽ, Gennadius Episcoporũ sui tẽporis Magistrum, alii quasi nouũ Hieremiam vocarunt; is volumen quadripartitũ nomine Timothei ad Ecclesiam toto terrarum Orbe diffusam exarauit, quo grauiter fideles commonefacit, ne in terra, verum in cælo thesauros sibi aceruarent; eò quod vniuersi simus precarii rerum, quibus hic fruimur, possessores; quas tamen licet nobis Dei

beneficio in res cæleſtes commutare. idemque grauiſſimis verbis in eos inuehitur, qui tã præclaram regni ſempiterni obtinendi occaſionem prætervecti, ſicut in vita terrenis rebus vſquequaque affixi fuerunt, ita eundem affectum (quem ſtultum appellat) in extremis mordicus retinent, nec quæ poſſent, imò quæ deberent bona Eccleſiæ, egentibus, piiſq; rebus deſtinant; ſed ſæculo & terræ duntaxat relinquunt, & cum, vt dici ſolet, Sapientia in exitu canatur, cumque illos qui Sacri altaris dignitate præminent, tantum alios merito, ſuæque ſalutis procurandæ induſtria excellere oporteret, quantum gradu anteſtant; eos vel maximè hac in conſanguineos agnatoſque mollicie dementatos luget, id quod grauiter & Conciliis & SS. Patrum conſultis norunt eſſe interdictum. Interim honore illo quaſi gratuito abutentes iſtud conſequuntur, vt velut homines nauci, cum exacto vitæ mortalis curriculo ad rationem Supremo Paſtorũm Principi reddendam euocantur; nullum aliud habeant argumẽtum quo ſe probent diu Eccleſiam adminiſtraſſe, præter ætatem. Quamobrem gratulor plurimũ bonis omnibus, hoc tempore Pontificem huic Diœceſi Auſtriacũ ſingulari Dei prouidentia obueniſſe, optimorum Antiſtitum veteris æui quam ſimillimum, id eſt, perpetuo de Iuribus Eccleſiæ ſuæ conſeruandis tuendiſque, de priſca diſciplina, ſicubi collapſa eſt, reuocanda, de affectis Cleri ac Religionis partibus perſanandis, deq; famiſſimis ſciẽtiarum Artiumque Liberalium præſidiis comparandis laborantem: deinde etiam, Tibi, Serenissime Princeps, ad quem propter arctiſſimam Sanguinis Auſtriaci communionem, ampliſſima huius felicitatis gloria, tanquam iure quodam poſſeſſorio deriuatur; Teque ipſum impellit, vt domeſticarum voluptatum, vrbanorum cõmodorum & propriæ quietis oblitum, omnia aut peregrinationis, aut concurſationis, aut vigiliarum, aut laborum

rum

rum incommoda respuentem, non pigeat multiplices, quę hoc rerũ statu incurrunt, in rep. Tibi commissa difficultates magna animi alacritate exsorbere. neque enim ignotum est toti Imperio, quanta animi magnitudine superioribus annis, cum in Iuliacensis negocii incendio latius erumpente Rodulphi Augusti fel. Recordationis iussu, cuius autoritas exulcerata fuerat, præsidium Iuliaco abs Te impositum fuit; vnus aduersus tot Principes, totque Francorum, Anglorum, Hollandorum copias, totq; heterodoxæ sectæ resp. & ciuitates, iusto pedestrium equestriumque exercitu conflato, tormentis cæteroque bellico apparatu contracto, vi armorum ius extorquere parantes, non sine grauissimo capitis Tui periculo dispẽdioque fortunarum, prudentiam, fidem, magnanimitatem Cæsari, Orbique Christiano egregiè probasti. Neque innata Tuis Alsatis gratitudo patietur eos obliuisci tum dolorem illum, quem accepisti, cum iniuriosa inuidiosaque Principum quorundam & vicinorum conspiratione, armis Alsaticam Tuam ditionem contra ius fasque, cum non medioccri hominum, pagorũ, & pecorum ruina concuti intelligeres, tum indefessam illam virtutem, quæ nullo aut labore molestiaque fracta fuit, aut negotiorum multitudine succubuit, aut tædio vel satietate relanguit; sed eodem semper cursu, nihil vnquam vel clandestinis Satanæ consiliis, vel subdolis hæreticorum machinationibus concessit; quin & complures clientelas in commune Patriæ bonum ad liquidum reuocasti, & longius disiecta atq; in certamen adducta iura in pristinã possessionem & æquabilitatẽ, velut postliminiò restituisti; & in publicam salutis curam totus inardescens, commissum Tibi à Deo Alsatarum Tuorum patrocinium, religionisque auitæ tutelam constantissimè tutatus es. tum vero etiam pii omnes prædicabunt inexhaustum Tuæ benignitatis fontem, quem in diuersos Deo dicatarum Fami-

SERENISSIMVS LEOPOLDVS ACADEMIAE MOLSH. FVNDATOR.

Familiarum Ordines, verè Austria, hoc est, pia & munifica quadam largitate quaquauersum deriuasti. Sed quod huius potissimũ loci ac temporis est, illa cumprimis beneuolentia nobis non erit silentio inuoluenda, quæ Societatem nostram complexa non vnius alteriusue Collegii finibus terminatur. nam & in Austria VIENNENSI COLLEGIO, post grauissimam fatalis incẽdii iacturam, aliquammultis nummûm millibus succurristi. & LINTZENSES nostros adiutasti & pronuper KREMBSENSI COLLEGIO, per Illustrissimos Comites ADOLPHVM ALTHAIMENSEM, & ELIZABETHAM Coniugem Krembsii opportuno Austriæ loco, amęnissimoq; ad Danubium situ, Augustum Templum Tua benignitate attributum, fundusque Domui Gymnasioque condendo abs Tua Serenitate assignatus est. PASSAVII vero ciuitate, Ptolomæo Boioduri nomine, nobilissima, Danubii, OEni, & Illiceti fluminum propinquitate ad instar peninsulæ commodissimo optatissimoque situ, quam olim Carolus Magnus, vti & Laureacẽsem Ecclesiã, regia liberalitate exornauerat, de Tuo solius peculio, bonisq; hæreditariis, in magna temporum difficultate, Gymnasio, & Collegio à fundamentis exstructo, additaque celeberrima Bibliotheca, nullis delendam temporum iniuriis, nullis terrarum aut marium interuallis non prædicandam FVNDATORIS ac PARENTIS munificentiam nostris animis altius defixisti. In hac certè Alsatia Tua vel nolẽtibus (si quidem id fieri potest,) semper versabuntur ob oculos in Collegiis, Templis, aliisq; molibus, in luculentissimis fundationibus, donariisq; æterna, tanto tamque pio Principe dignissima monimenta. Venisti, vt Principatum hunc Tibi iam antea cõsentientibus omnium votis delatum capesseres, & difficillimis maximisque itineribus, hiemante cœlo, sub annum CIↃ. IↃC. IIX. die, qui Epiphaniam Domini præcurrit, sub crepuscu-

COLLEGIORVM in Austria BENEFACTOR.

PASSAVIENSIS FVNDATOR.

SERENISS. primus Molshemium ingressus.

crepuſculum veſpertinum MOLSHEMIVM magna omnium gratulatione acceptus, iniuiſti. cum primũ enim Te aduentare multitudo ſenſerat, continuò patefactis effuſa portis, occupare ſpectandi ſtudio vias, atque ingenti lætitia Principi & Paſtori ſuo obuiam prodire geſtiebat: poſtero die, vt delicias Tuas tum pietatem, tum Societatem eſſe oſtenderes, ab Clero ſilenti ac religioſo agmine, comitantibus ſeptem Cœnobiorum Archimandritis, ſolemni habitu, cum dilecto Ciuiũ ordine deductus, matutinis quidẽ horis diuinæ Liturgiæ in Æde Cathedrali; veſpertinis vero precibus in Collegii tẽplo intereſſe voluiſti. mox tecta Collegii magnus hoſpes ſubire dignatus, iiſdem diebus cogitationẽ ſuſcepiſti, partis illius, quæ Scholis ab Sereniſſimo CAROLO deceſſore poſitis, ad Orientem parallela eſt, nouo domicilio ad maiorem Collegii amplitudinem & commoditatẽ exornandæ. quod & magnificè præſtitum; cœnatione, muſæo, ac conclauibus ad vſum noſtrorum accommodatiſſimis hodie videmus, & fruimur. Eſtque nunc ea Collegii Gymnaſiique facies, quæ ad ſui contemplationem viatores vel nolentes excitet, ea patentis introitus amplitudo ac dignitas, vt quantamuis turbam facile admittat & reddat, ea ſymmetria ſingularum partium & elegantia, vt non modo nouos oculos & peregrinos, ſed aſſuetos etiam teneat atque oblectet; maleuolorum autem animos ita configat, vt inter cætera, quæ nobis opprobrare ſolent, etiam hũc arietem, grauem ſcilicet, muris noſtris incutere ſubinde ſoleant; quaſi ea ædificiorum amplitudo, paupertati religioſæ officiat. in qua tamen & hic & alibi Principes Optimi ſuæ potius munificentiæ beneuolentiæque, quam noſtræ votiuæ inopiæ rationem habendam eſſe duxerunt. Quis vero non iam dico ſperare, ſed vel cogitare poterat, inter tantas ferocientis Sataneę oppugnationes, noſtris tam graui tempeſtate bellorum non modo nuper, ſed etiam ſub

Vid. Adam Contzen. in Secret. Societ.

beneficentissimis felicis memoriæ Antecessoribus, IOANNE Collegii Fundatore, cum ad XL. millia insolentissimorum militum sub hæreticis Ducibus in Alsatensem agrum irrupissent, & inter cætera vel insolentiæ vel rapacitatis & sacrilegiorũ facinora, Templis, Cœnobiis, Collegioque ipsi exitium minitarentur; tum sub Serenissimo CAROLO, in factione Brandeburgica, dissipatis omnibus Collegii membris, & vectigalium tenuitate tot populationes consecuta, Collegiũ ipsum tot affectum detrimentis, tamq; iniuriosè habitum, quam haberi potuisse in tanta militum licentia cogitare promptum est; in ipsis fere tempestatum confinibus ad eam dignitatem emersurum, vt ARCHIDVCALI ACADEMIA exornaretur? Ad hanc itaque Molshemensibus Tuis, vt patriæ ornamento esset & emolumento, transscribendam, animum serio appulisti, quam etiam annui census auctario locupletare dignatus es. & quod in ruinosa licet veteris Templi structura, petere non audebamus, Tu vltro verecundiæ nostræ occurrens, TEMPLVM dignum amplitudine Austriaca, designationis primordiis ipso die S. LEOPOLDI captis, primum deinde lapidem algente cœlo, mense Februario, adstante & vero etiam animo manuque fauente Reuerendissimo Serenissimoque CAROLO ARCHIDVCE, EPISCOPO BRIXIENSE & VRATISLAVIENSE, Fratre Germano, qui commodum in rem præsentem venerat, solemnibus cærimoniis per Reuerendissimum Adamum Antistitem Tripolitanum Suffraganeum Tuum initiatum, apertis fundamentis posuisti; cuius haud multo post absoluti extypon dare in animo habemus; vt iam haud iniuria gloriari possimus, Societatem in Alsatia sub Illustrissimo IOANNE Collegii FVNDATORE natam, Sub Serenissimo deinde CAROLO LOTHARINGO adolescentem, deniq; sub Te Serenissimo ACADEMIÆ PARENTE, ad excelsum quen-

quendam amplitudinis gradum & quasi maturitatem omnibus tam Religionis, quam Sapientiæ præsidiis emergentem, esse iam tandem in robusta ætate collocatam. Neq; cõtentus fuisti, SERENISSIME PRINCEPS, Molshemensibus Tuis regiam liberalitatem exhibere; sed tanquam communis totius Alsatiæ Parens, foras etiam extra Molshemium eandem beneficentiæ largitatem protulisti. Nam & HAGENOÆ, ciuitate Alsatiæ Imperiali Matram inter & Sornam posita, Collegio fundando dotandoque vna cum Amplissimi, & quoad Catholicam fidem sinceriore Senatus parte, in FVNDATORIS cõsortiũ venire non es aspernatus. qua re non iniuria plus dixero dignitatis decorisque Ciuitati illi cæteroqui florentissimæ accessisse, quam olim, cum sub annum M. CLXIV. Fridericus Barbarossa muro illam, agris, ædificiisque stabiliuit, & Cæsario palatio, quo S. R. Imperii cimelia insigniaque Caroli Magni Augustalia asseruarentur, exornauit. Inde sub annum M. DCXV. adulto Ianuario, cum SELESTADIVM (Heluetum Antoninus dixit) inter Nobilissimas Alsatiæ Vrbes merito numerandum, & partim loci natura, partim Elli siue Illi fluminis beneficio egregiè communitum venisses, ab tota Ciuitate gratanter acceptus, inque Ædem Sacram, quæ Præposituræ S. FIDEI adiacet, (quam anno M. CLIII. Richardem siue Hildegardem Sueuiæ Principem Friderici Barbarossæ supra commendati Matrem fundasse veteres mẽbranæ perhibent) deductus, Te vniuersa Præposituræ iura, quæ quidem etiamnũ supersunt, annuentibus Illustribus Argentoratensis Ecclesiæ Sacri Cleri Proceribus, Collegio Societatis ibidem constituendo, plenissimo iure dare, dicare, addicere, Deo auspice, Coss. testibus, & cupere inprimis, vti ea res in maximam eius gloriam, summum decus felicitatemque Alsatiæ, Ecclesiæ, Sęlestadiensium, & Societatis cedat, palam edixisti: Ciuitate interim ob tam egregiam eius diei raramque

HAGENOENSIS cum Amplis. Senatu FVNDATOR.

SELESTADIANI FVNDATOR.

ramque speciem insolito perfusa gaudio; emicabant ex D. Dominici familia Patres, è quorum numero fuit, qui Ciuium, Clerique nomine, pro suo in Societatem affectu, Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, de hoc Societatis inductæ beneficio, vt ipsi interpretantur, gratias diserta oratione diceret. Eandem vero Tute Octoviris rempub. administrantibus impensè commendasti, tantam interim hilaritatem præferens, vt beneficium non dare, sed accipere videreris. & fuisse operæ preciũ, quæ Dei bonitas est, felix euentus hodieq; docet; cum ex eo tempore & in Vrbe, & in agro, consueta Societatis munera fructu non pænitendo per nostros ad Dei gloriam obeuntur, quæ in Te Serenissimum SELESTADIENSIS Collegii Parentem, ceu fontem merito redundabunt. Videmus itaque, SERENISSIME PRINCEPS, quam iure merito eundem honorificum FVNDATORIS titulum, quem supra RVDOLPHVM id nominis è maiorib. tuis IV. (qui princeps inter omnes Serenissimos Exarchos Academiæ Parens, idemque Cœnobiorum multiplicium partim fundator, partim reparator fuit) tulisse meminimus; eundem inquam pronuper Vir doctus luculento, quem publici iuris fecit, & Serenissimæ Domui Vestræ consecrauit, volumine, Tibi adscripserit. Ac potestne sempiternos non induere fructus palmes ille, qui ex tam generosa & fęcunda semperque sui simili vite prodiit? potestne à Cæsarea stirpe degenerare, quæ sicut tot Cæsarum gloria sublimis, omnes omnium temporum anteactorum monarchias magnitudine atque diuturnitate Imperii anteuertit, ita cælestibus semper grauidata muneribus, non modo fæcunditatis perpetuitatem tenuit, sed nouo insuper fætu liberalitatis læta, vberiora indies multiplicium meritorum incrementa in Orbem Christianum propagauit? Habebis ergo, SERENISSIME PRINCEPS, pro isthac Tua erga Societatem nostram minimam Augusta munificentia,

V.C. Theodericus Piespordius in Stemm. Habsburgi Austriacis Bruxellis ed.

ficentia, homines in terris testes & admiratores; Deum vero olim in cœlis remuneratorem; Socios denique apud eundem deprecatores, vti nos sub Serenissimo Tui Nominis præsidio quam diutissimè tutos tectosque conseruet, quo ad Votum Tuum, quod vnicè Tibi cordi esse in hac Academia potissimum constituenda palam fecisti, pro auita Religione stabilienda, firmandaq; repub. labores, ingenia, & preces quanta maxima possumus animi contentione referamus.

CAPVT VI.

QVOD SERENISSIMVS LEOPOLDVS ACADEMIAM MOLSHEMENSEM ab se Fundatam SOCIETATIS IESV gubernationi commendarit, id aliorum Christiani Orbis Principum ac Dynastarum exemplo bonum factum videri.

SIc equidem confido, SERENISSIME PRINCEPS, quamuis amori Tuo erga minimam nostram Societatem, quam semper à teneris vt pupillā oculi complexus es, in Tua isthac MOLSHEMIANA ACADEMIA indulgere voluisti; nihil tamen hoc in opere præcipitasse; quin potius illa rationum momenta, quæ supra enumeraui, iam dudum antea librantē, voto Caroli Aug. id nominis V. (quem cum nomino, iam laudaui) egregie respondisse. is enim, vt est apud Zenocarum, Austriacos sui Sanguinis Heroas in rerum decisionibus Saturno planetarum supremo similes esse desiderabat, quod vti ille Summus inter alios orbes tardissimè circumducitur; sic Monarchas Exarchosque Austriacæ Domus, qui summo

apud mortalium genus loco eminerent, quam minimè præcipites in consiliis esse oportere arbitrabatur. Itaque precium operæ fecero, si aliorum etiam Optimorum Principum ac Dynastarum tanquam coronidis loco syllabum adtexam, quibus cum hisce rerumpubl. præsidiis statuēdis SALVS PVBLICA SVPREMA LEX esset;

FRANCISCVS BORGIA DVX GANDIAE fundat, & Societati cōmendat ACADEMIAM GANDIENSEM in Hispania.

ita curę cordiq; fuit, iisdem Societatem IESV honorare. Primus ergo, qui Academiam Societati concredidit; est FRANCISCVS BORGIA DVX GANDIÆ, qui posteaquam ad propagandam inter Mauricos, quibus ea regio abundabat, Orthodoxam religionem ac fidem, de Collegio Gandiæ instituendo ad B.P. Ignatium retulisset, Gymnasium, quo non ciuitas modo, sed & vicinitas adiuuaretur, primo lapide Academiæ fundandæ à Petro Fabro, vbi Sacris rite operatus fuerat, III. Non. Maii Anno M.D.XLVI. posito, ædificandum curauit. anno denique postero literas ex Vrbe impetrauit, quibus autoritate Apostolica disciplinarum Vniuersitas, quæ Societatis administrationi ac potestati subesset, constitueretur, quęque deinceps à Carolo V. Cæsare cunctis celeberrimarum in Hispaniæ regno Academiarum Salmāticensis & Complutensis prærogatiuis exornata, tandem publice ipsis Kal. Martiis, Francisco Duce cum Illustri Procerum corona præsente, primo eius & Collegii Rectore Andrea Ouiedo pronunciato, euulgata fuit. nec multo post idem ille Dux magna Caroli V. Imp. magna hominum laude publicis muneribus sago, & toga perfunctus, rebus denique omnibus, quæ in bonis numerantur, ad voluntatem fluentibus, mundique vanitate reiecta, Societatem nostram ingressus, paupertatem diuitiis, deliciis asperitatē, splendori aulico religiosum squallorem, honoribus lu-

IOANNES VEGA PRO-

dibrium suique contemptum anteferens, ita vixit, vt non sine magna sanctitatis opinione mortalibus relicta ad immortalem vitam demigrarit. Insigne quoque & celebre ob

breob Academiam conditam & Societati traditam, nomen fuit IOANNIS A VEGA, Viri siue religione, siue belli ac pacis artibus plane summi, qui ex Caroli V. Aug. Cæsaris apud Pontificē Max. Oratore, factus Siciliæ Prorex, post Africanā expeditionē Cæsareis auspiciis aduersus Dracutū feliciter susceptā, post captam Aphrodisiū, Maurosque Pontificiis, & Florentinorum Melitensiumque triremibus sibi associatis expugnatos; ad regni totius Ecclesiæque emolumentum, MESSANÆ antiqua, nobili, & primaria Siciliæ Vrbe arte & natura munitissima, celeberrimoque ad fretum Mamertinum emporio, non de Collegio solum Societati IESV; sed etiam de Vniuersitate constituenda, Pontifice Maximo, totoque Concilio, quod Signaturam nominant, adprobante, cogitauit. Itaque assignato stabili in eam rem censu, Collegii nostri Rector idem qui Academiæ ad condictum diem renunciatus est, ex eodemque Collegio Cancellarius publicè datus, qui dignissimum quemque ad decretos honorum gradus eueheret, & partis doctrinę industrięq; insignibus decoraret. Pari Academiæ, EBORÆ, ciuitate inter Lusitanici regni vrbes facile post Olyssiponem primaria, ad Callipodis amnis ortum fundatæ gloria, sequitur HENRICVS D. EMMANVELIS Regis inuicti & Mariæ Ferdinandi Castellæ Regis natæ Filius, Portugalliæ Infans, S.R.E. tituli SS. Quatuor Coronatorum Cardinalis, qui Ioanne id nominis III. Lusitanorum Rege apud Paulum item III. Pont. Max. id agente, Cathedrali sede Eborensi, cui Henricus Antistes præerat, in Metropolim euecta, primus eiusdem Archiepiscopus nominatus est. Is dum ibidem egentioribus suæ Diœceseos Sacerdotibus contubernium exędificat, comperta Societatis in animarum lucro industria, opus illud cum annua pecuniarum dote, Summi Pont. consensu mutata voluntate, in eius vsum Collegiumque conuertit. & Ludouico Granatensi nobilissimo

REX MAMERTINAM in Sicilia.

HENRICVS S.R.E. CARD. ARCHIEPIS. EBOREN. REX LVSIT. EBORENSEM in Lusitania.

bilissimo ex Dominicana Familia Ecclesiaste, deque rep. Christiana piissimis lucubrationibus optimè merito Cardinalem perurgente, Scholas quibus non humaniores tantum literæ, sed Philosophia quoque cum Theologia traderetur, compluribus ædibus Collegio proximis adiectis, Paulo IV. Pontifice Maximo adprobante, Academiæ titulo iuribusque ita instruxit, vt idem Sociorum qui Academicorum Rector esset. vnde Manutio IC^to teste, non in Vrbem duntaxat, sed in cætera vicina oppida & circumiacentes Transtaganæ regionis incolas, adeoque in vniuersam Lusitaniam ingens vtilitas atque ornamentum cum pari Societatis opinione accessit. Habetque in hodiernam diem Eborensis Academia celeberrimum diem illum, quo aduentus, Spiritus Sancti celebratur, cuius Numini Nominique Cardinalis cum Academia Templum, Collegiumq; voluit consecratum. quem sicut in omni vita, ita post obitum Societas vt Parentem, Religiosi cæteri vt Patronum, docti vt Mæcenatem coluerunt. Auxit etiam Academici Fundatoris titulo clarissimum suum nomen OTTO EX ILLVSTRI TRVCHSESIORVM Domo, Wilhelmi Baronis & Ioannæ ex Friderico Comite Furstenbergio Filius, AVGVSTANVS ANTISTES, Catholici nominis inclytus per Germaniam restitutor, qui vbi doctrinarum opibus in Bononiensi Academiâ egregiè Adolescentiam instruxisset, generosissimi animi impetu ad maxima quæque viam illi breui temporis curriculo expediente, non in Pontificatus tantum & principatus fastigio, sed in purpuratorum etiam Patrum amplissimo Senatu à DEO positus, Petro Canisio in vrbem Augustam inducto, victum laremque in ædibus suis, quas olim Canonicus incoluerat, tantisper præbuit, quoad Societati domicilium conderetur. Ipse interim Augustani Collegii aduersus portentosas hæreses, quæ miserabili tot animorum exitio non

OTTO TRVCHSESIVS S. R. E. Cardin. EPISC. AVGVSTANVS, DILINGANAM in Germ. Superiore. Petromella in Pont. & Cardin. Henr. Pantaleon par. 2. de Viris Illustr. German.

non modo ciuitatem, ſed totam etiam prouinciam inteſtinis inter ſe internecinisque diſſidiis diſtraxerant, tamquam firmiſſimi valli opponendi autor fuit; quod deinde per Illuſtrem Fuggerorum Gentem collocatum, liberalitate ſua munificus Paſtor iuuit ornauitque. Deinde vero cum immaniſſimam luporum rabiem in gregem innoxium ſub Auguſtanæ confeſſionis verſipelli tegmine graſſari optimus Paſtor dolenter aſpiceret, ad ACADEMIAM DILINGÆ excitandam animum adiecit, quo impenſius nobiliſſimæ Sueuorũ iuuentuti, vicinisq; Rhætis & Algois ſuæ ditioni parẽtibus ſubueniret. Quare literis ad Pont. Max. & Carolum V. Imp. ſimulque ad Ferdinandum Regem datis, impetratisque eius condendæ iuribus, cum illam ad tempus exteris Doctoribus cõmendaſſet, tandem Petro Soto è S. Dominici familia, (qui Carolo Aug. à confeſſionibus erat,) ſuadente, imò etiam impellente, ſub annum Domini M. D. LXIII. transmiſſis ei à Iacobo Layneſio Supremo Societatis IESV Præſide Doctoribus, & XIII. Kal. Octob. in Gymnaſium inductis, Petro Caniſio & Societati omnia honorum Academicorum inſignia, epomidem, ſignum, ſceptrumq;, & cum iis integram Academiæ moderationem transſcripſit. nec multò poſt Maximiliano Cæſare ita rogante, in Hiſpanias cum Sereniſſimis Filiis Rudolpho, Erneſto, & Matthia Archiducibus Auſtriæ, Tuis, SERENISSIME PRINCEPS, Patruelibus profectus; decennio poſt, id eſt, ſub annum M. D. LXXIII. ipſe vitam mortalem Romæ exuit, honorificentiſſimo integerrimi Principis, & apud omnes propter excelſas animi dotes amabilis elogio decoratus; cui religioſiſſimo Præſuli iam pridem, vti ſpes nos certa tenet, cæleſtis munerarius præmia repoſuit, & in omnem reponet æternitatem. Poſt Ottonem vero ſeruata temporum ſerie venit inter Illu-

ſtres Academiarum Societati creditarum Conditores digniſſime commemorãdus CAROLVS CARDINALIS à LOTHARINGIA, Claudii Ducis Guiſiæ Filius, Franciſci Inuicti Frater, qui præter heroicas virtutes & eximias animi corporiſque dotes, quas ad publicam afflictæ Galliæ ſalutem & tranquillitatem contulit, Dux ſumma prudentia, antiqua fide, egregia doctrina, & eloquentia ſingulari, munificam plane & regiam voluntatem erga homines pios iuxta & eruditos declarauit. Is & Galliam Caluiniani furoris & rebellium Dynaſtarum tumultu quaſſatam, grauiſſimis reip. temporibus prudentia, conſilio, & autoritate fulciuit; ideoque Carolo IX. Chriſtianiſſimo Regi carus, ſuaque virtute apud Galliæ populos conſpicuus, frequentes ad Reges & Regum Imperatorem Legationes fœderibus inter eos ciendis ſuſcepit; Synodũ etiam Tridentinam frequentauit; poſt quam, Regi autor fuit, vt Mediomatricum Vrbe, Caluini Synagogam ad pontem S. Barbarę conuenticulis agendis exſtructam prorui ſoloque æquari iuſſerit. & idem conuentu Poſſiaci habito, in magno Regis, Reginæ, & Procerum conſeſſu os Theodori Bezæ infibulauit, Petri Martyris & cæterorum eiuſdem arrogantiæ Symmyſtarũ audaciam fregit. Tandem ceu munificentiſſima functus ædilitate, Remis literarum omnium Artiumq; Gymnaſium permiſſu Regio Pontificioque, Anno M. D. XLIX. excitauit, viditque illud hæreticorum fraudi ac tumultibus obiici oportere. Ac demum publico iuuentutis Lotharingicæ Gentiſque ſuæ bono, ſumma CAROLI III. Ducis propinqui voluntate, MVSSIPONTI Anno M. D. LXXI. ACADEMIAM humanæ diuinæque Sapientiæ procreatricem, Gregorio XIII. Pontifice Maximo laudante, & publici diplomatis autoritate firmante conſtituit, iiſq; præſidiis communiuit, vt pro munifico & regio illius animo ſiue ad diſcentium fructum, ſiue ad Doctorum gratiam & dignitatem,

CAROLVS LOTHARINGVS, S. R. E. CARDIN. &c. MVSSIPONTANAM in Lotharingia.

gnitatem, Academicis sua præmia non deëssent. Estque is Societati honos habitus, vt Hospitali quondam S. Antonii ei in domicilium attributo, non solum præcipuas docendi partes, vti frequentissimis aliis Academiis fieri videmus, Socii obirēt; sed Collegii & Academiæ Rector idē perpetuò Sixti V. Pont. Max. decreto statueretur. Qui tandem Auenione Anno M. D. LXXIV. moriens, elogium voce publica commeruit; quo eloquentiæ fulgur, prudentiæ Gallicanæ decus, Ecclesiæ columen, & specimen Orthodoxæ pietatis posteris commendatur. Quibus vero laudibus extollam CAROLVM illi cognominem PRINCIPEM Religionis plenum, & ad Ecclesiam sibi demerendam regia liberalitate cōspicuum, amantissimū Fel. Recordationis TVVM, SERENISSIME ARCHIDVX, PARENTEM, quem vt autorem vitæ habuisti, ita rerum domi forisque præclarè gestarum, religionis, moderationis, clementiæ velut locupletissimum absolutæ gloriæ patrimonium Tibi ab eo relictum tueri atque augere laboras; quarum virtutum, cum in omni vita edidit documenta, tum vero singulare gentiliciis laudibus auctariū superaddidit; quando à me laudatam prius GRÆCIENSEM ACADEMIAM, velut inexpugnabile sanæ fidei promontorium, & munitissimum aduersum tetros hæreseon errores passim emergentes asylum, Societati, quam in Styriam aduocarat, quamque omnes ingenii vires tum ad hæreticorum factiones fraudesque patefaciendas, tum ad iuuentutem bonis literis imbuendam conferre didicerat, gubernandam tradidit. Quam eandem Serenissimus Frater Tuus Germanus FERDINANDVS BOHEMIÆ & HVNGARIÆ REX, tum alias, tum ab eo potissimum anno, quo ad ditionis paternæ gubernacula magno illius reip. bono admouebatur, non beneuolentia modo paterna, sed be-

CAROLVS IX. ARCHIDVX AVSTRIAE, &c. Serenissimi FVNDAT. Parens Fel. Record. GRAECIENSEM in Styria.

neficentia etiam eſt proſecutus. nam & diſſoluto ære alieno, ædificia complura noſtris vſibus opportuna adiecit; & liberaliſſima indulgentia Oppidi Milleſtadiani (à mille idolorum ſtatuis, quas Domitianus Carinthiorum & Noricorum Dux gentilicia ſuperſtitione celebrauit) donatione, annuum Collegii cenſum eximiè ampliauit. Vno igitur nomine vtrumque complectar, & ambos vti Religionis, ita SOCIETATIS PARENTES, qua voce nulla in humana ſocietate gratior eſt, compellabo. Immortalem ſe quoque hoc nomine præſtat HENRICVS id nominis IV. FRANCORVM REX, qui noſtris per edictum Rhotomagi Anno M. DC. III. menſe Septēbri datum, reuocatis in regnum, vnde iniquorum factionibus pulſi fuerant, mox X. Collegia, quæ ad iſtam diem durarāt, confirmat; Lugdunenſi, Diuionenſi, cæterisq; magna ciuium approbatione Scholas habere denuo ſancit; denique inter alia vel ampliſſimis diplomatis confirmata, vel prærogatiuis munita, vel iudiciis beneficiisq; exornata, FLESCHIÆ, quæ Andegauenſis Ducatus ciuitas eſt, natali Chriſtianiſſimi Domo, Academiam vna cum Collegio, adiecto etiam pro Tironibus domicilio, Societati conſignauit, cumque honorem addidit, vt partitim Principum inſtituto ſepeliendus, cor ei ſuum, vbi vita abiiſſet, transſcribi voluerit; id quod magna Ludouici XIII. hodie feliciter regnantis Succeſſoris, & paternarum laudum hæredis, id eſt, tum Orthodoxæ Religionis verè CHRISTIANISSIMI Defenſoris, tum Societatis noſtræ indulgentiſſimi Parentis voluntate præſtitum eſt. Extatque diploma publicum, quo ſubditos Regni magno gaudio ex Societate reſtituta Rex ipſe conteſtatur perfuſos, quod id tandem poſt diuturna vota ſe adeptos viderent, vt Filii vnà cum literis ad pietatem erudirentur. Occurrit hic etiam ACADEMIA noua PADERBORNENSIS, quam Illuſtriſſimus ſingu-

HENRICVS IV. FRANCIAE REX FLESCHIENSEM in Francia.

laris

laris exempli PRINCEPS THEODORVS exauita FVRSTENBERGICORVM prosapia, cum sua in Dioeceſi ante aliquammultos annos Collegium Societati, Gymnaſiumque humanioribus literis tradendis; Templo illi addito, primoq; lapide XVII. Kal. Iul. qui dies feliciſſimæ illius electioni anniuerſarius erat, condidiſſet: tandem altero abhinc anno Idibus Septemb. accepto conſenſu S. D. N. PAVLI PP. V. & Inuictiſſimi Imp. MATTHIÆ, incredibili omnium volūtate ac gratulatione Paderbornæ in Weſtphalia Academiam Theodorianam erexit, omnibus immunitatum priuilegiis, atq; ornamentis, quibus celeberrimæ quæque totius Orbis perfruuntur, communitam. atque ad condictam diem Diuini Spiritus ope, faciente Proepiſcopo Monaſterienſi, implorata, ſplendidiſſimo Cleri Prælatorum, atque è prima Nobilitate comitatu, in ampliſſima ſpectatorum, quorum maximam partem ab fide Orthodoxa alienos Academiæ nouæ fama exciuerat; literis atque autoritatibus tum Sedis Apoſtolicæ, tum S. Cæſareæ Maieſtatis publicè recitatis, oratione beneuolentiæ plena erga Societatem præmiſſa, Præpoſitum Prouincialem breuiter allocutus, diplomata, ſceptrum, aliaque ornamenta, adeoque totam Academiam optimus Princeps Societati contradidit; quo vberius ex ea, tamquam è terrena Paradiſo in omnem ſuam Dioeceſin ſalutaris doctrinæ flumina emanarent. illudque publicis notis ad immortalem Theodoriani zeli memoriam optimus Princeps conſignari voluit; ſe affectu zeloq; boni publici, qua religione qua ſapiētia procurādi propagandiq;, Religioni quidem Templum, Sapientiæ vero Gymnaſium Academicū, Collegiū vero Patribus Societatis IESV, tamquam fidis vtriusq; theſauri diſpenſatorib. æternū conſecraſſe.

THEODORVS Epiſc. Paderbornenſis, PADERBORNENSEM in VVeſtphalia.

Panegyr. Paderbor.

MATTHIAS I. CAES. AVG. PRAGENSEM in Bohemia.

Supereſſet etiam, quam PRAGÆ Regia Bohemiæ Metropoli anno proximè ſuperiore Inuictiſſimus MATTHIAS AVG. in Imperiali hodie faſtigio collocatus, ab ſe ampliſſimè dotatam Societatis regimini ſubmiſit; qui ſicut Orbi, quod Auſtriacorum Cæſarum perpetuæ ac conteſtatæ gloriæ in fide Orthodoxa tuenda,& comprimendis rebellium factionibus debuit,abunde reddidiſſe hodieque reddere exiſtimandus eſt; ita ob ſingularem erga noſtrum Ordinem beneuolentiam tot tamque egregiis documentis in illuſtri poſitam, ſicut apud Socios meritò in veneratione futurus eſt, ſic oratione hac meâ certè aliquâ grati animi ſignificatione aſpergendus eſſet; niſi quemadmodũ in Solis lumine ſtellulæ,ita ſermo noſter exilis in tantâ Maieſtatis amplitudine prorſus euaneſceret. Videmus interim, SERENISSIME PRINCEPS, eandem Te viam ad Auguſtum VIRTVTIS & HONORIS templum inſiſtere,quam viri Principes, quibus ius, fas,religio, & ille XII. Tabularum colophon, videlicet PVBLICA populi SALVS, tamquam Atlantibus innituntur,reip.ſalutariter adiuuandæ in omnium Gentium theatro, ac totius poſteritatis oculis, ſumma cum laude contriuerunt. qui, vt erant in omnibus ad ſubditorum incolumitatem ſpectantibus oculatiſſimi, nec Deo ſe gratius quidquã,nec vtilius reip. nec ſibi ad immortalitatem glorioſius facturos arbitrati ſunt, quam ſi eos amarent ac fouerent, iiſque ciuium ſuorum liberos, velut precioſiſſimum theſaurum, expoliendos commendarent,qui ſe ſuaque diuino cultui,& iuuentuti ad omnem pietatem informandæ,ad vnius Dei gloriam, patriæque ſalutem,ex voto conſecrarunt. Etſi enim non deſint viri hac etiam tempeſtate grauiſſimi doctiſſimique, qui TVAM illam ARCHIDVCALEM VNIVERSITATEM, vti in celſiore dignitatis gradu poſiti, facile maiori autoritate, nec minore prudentiâ conſilioque gubernare

nare valuissent; ILLAM tamen VNIVERSAM SOCIETATI committere voluisti, non tantum, quod religiosâ quadam animorum cõsensione, quo membra suo Capiti arctiore nexu deuincta sunt, hoc illam firmius solidiusque duraturam crederes; sed etiam, quod perpetuâ & quotidianâ literariæ iuuentutis tractatione, nostrę Societatis homines aliquod experimentum assecuturos confideres, quo neque publicæ rei negociis distracti, neque rei familiaris cura, neq; aliâ cogitatione auocati, hoc vnum agerent, vti tenerum iuuentæ germen adhuc pubescens, in literarum palæstris ad magnam totius reip. instaurandæ spem quanta maxima fieri potest, solertia industriaq; aleretur. Ac quemadmodum periti bellatores callidos itinerum Duces legere consueuerunt, quibus cum sint explorata semitarum compendia, condensa siluarum frequentata, & perspecta latronum latibula, facilem ad exitus desideratos viam patefaciunt; ita TVAM illis ACADEMIAM pro Serenissimi Tui amoris magnitudine credere voluisti, qui ex quo adolescentiæ bonis moribus ac literis imbuendæ sese penitus addixerunt; ad illam Cynosuram totius vitæ gubernacula flectunt, vt si non semper fortasse quam felicissimè, certè quam accuratissimè hanc sibi commissam Spartam exornare cõnitantur.

CAPVT VII.

TEMPLI NOVI MOLSHEMENSIS IN COLLEGIO SOCIETATIS IESV PER SERENISSIMVM ACADEMIAE FVNDATOREM positi descriptio, & sub idem tempus Academiæ promulgatæ Encænia.

IAM vero insignis illa Basilicæ abs Te, REVERENDISSIME PRÆSVL, Deo Diuisque Tutelaribus positæ (cuius

(cuius ENCOENIA in hoc ipſum tempus inciderunt) & tum Collegio contiguæ inſitæq;, tum è Gymnaſio Academico conſpicuæ amplitudo ac magnificentia ſatis admonent, vt ante quam dicendo abſiſtam; hunc quoque laudatiſſimæ Tuę pietatis Colophonem Panegyrico imponam. Videlicet vt Auguſti operis aſpectu curſor ſubinde in ſtadio; ita in extrema orationis calce feſſa mens NOVI huiusce TEMPLI aſpectu mirificè renouatur. Qui vt oſtenderes, non ſolum quam iure Archiducali Tuo SYMBOLO, Paulinum illud; PIETAS AD OMNIA VTILIS EST, præferres; ſed etiam quàm arctè SCIENTIAM PIETATI ſociandam æſtimâris, ACADEMIÆ, ceu proprio Scientiarum domicilio, magnifici operis TEMPLVM, Virgini Sapientiæ incarnatæ Parenti Sacrum, Auguſtis impendiis piè adſtituendum curaſti. vt ibi quidem eam Auditores ſtudioſè inquirerent; hic ab Deo religioſe poſtularent: ibi animum optimis diſciplinis erudirent, hic pietatis operibus aſſuefacerent: ibi ſcientiam labore & vigiliis; hic conſcientiam & ſanctitatem diuinis præſidiis ſibi curandam, ac cæleſte Numen precibus votiſque propitiandum tum Academici, tum vero Ciues adeoq; Alſatæ vniuerſi admonerentur. Etenim illa immenſa & ſumma Maieſtas, quæ nullo vel ſpacio comprehendi, vel intercapedine arctari poteſt; ita tamen ſæpenumero vel per ſeipſam, vel per amicos Cælites ſuam præſentiam locis accommodat; vt hic potius, quam alibi degere, munera largiendo, & vim Maieſtatēq; ſuam exhibendo videatur. Sic Iacobus Patriarcha illuſtri ſcalæ viſo per quietem admonitus, non ſine admiratione terribilem locum iſtum pronunciauit, quo Dei Angelorumque ſpecies animo eius obuerſata, nouo ſeſe & inuſitato beneficio cumulaſſet. nec minus Religione venerabilem, quàm fructu ſalutarem Probaticam piſcinam

Gen. 28. 16.

Ioan. 5. 2.

nam Numinis præſentia faciebat; cum huius potius, quã alterius cuiusuis agitatione, Angelorum miniſterio, tabidis corporibus morbi diſpellerentur. Sic vtique terram, quæ primò naſcentem Deum hominem excepit, quæ Sacratiſſimum morientis Sanguinem bibit, extinctum gremio complexa eſt, quam Chriſtus omnibus denique veſtigiis conſecrauit, non Sanctam modò dicimus, ac ſalutamus; (id quod longiſſimis difficillimisque itineribus Maiores Tui, SERENISSIME PRINCEPS, religioſiſſimè præſtiterunt) ſed ad immortalitatem memoriæ, Religionis laude, & admirandis Chriſti factis æternùm glorioſam prædicamus. Meritò igitur vel naturæ inſtinctu Sapientes Græciæ Perſarum Magos exploſerunt, quibus autoribus Xerxes inflammaſſe Templa Græciæ dicitur, quod hunc mundum vniuerſum Dei Templum eſſe, neque locorum vllum faciendum diſcrimen perſuaderetur. cum omnium Gentium conſenſu receptum ſit, plurimum exinde Religionem augeri, ſi certis definitisq; locis, non ſolum mentibus, ſed oculis quoq; Supremi Numinis præſentia & fauor obuerſetur; quibus eam debeamus reuerentiam, vt neque ſanctitas citra piaculum iis detrahi, nec violari ſine ſacrilegio poſſit. Porro Templorum procuratio, ſiue ſtructurã & fabricam ſpectes, ſiue ornamenta & apparatum interiorẽ, cum non ad vſum quemcumque (vt in priuatis domiciliis) ſed ad decorem, qui DEVM Opt. Max. deceat, quique animos ad religionem excitet, accommodanda ſit, quos nõ ſumptus exhauriendos, quas non faciendas pecuniarum effuſiones opinamur? neque enim hic metuendum, vbi immenſo Numini veneratio quæritur, ne extra modum ſumptu & magnificẽtia peccetur. Tollantur immania cœlo ſurgentia Templa, veſtiantur Numidici, Lesbii, Pontici, Ramniſei, Mitreiue marmoris cruſtis, ſegmina niteant artifice manu deſculpta, ludant opere muſiuo, & vel picta, vel cælata verſico-

loribus lapidum frustis, acta vitæ præclara & Martyrum certamina intuentium oculis ad viuũ repræsentent; fulgeant auro parietes, sternantur Pario lapide pauimenta, & laquearia in cryptæ morem anaglysis ac preciosi marmoris incrustatione splendescant; nunquam hæc non Sanctorum hominum exemplis sancita diligentia, Religioni suffragata est; nũquam ideo vel dedecori fuit Deo, talibus ornamentis Domum illi Sacram exornari, vel iis fraudi, qui, vt in cæteris frugi essent; hic certè adeo effusi reperti sunt, vt ars certaret cum copia, quodque de largitione quidam vsurpauit, id de liberalitate & magnificentia Templorum dici non potuerit, quod fontem ipsum exhauserint benignitatis. Quid iam vasa aurea argenteaue, lances, paropsidas, thuribula, pateras, Lychnuchos, lãpades ex auro, gemmis, & quantiuis precii metallis, templis illata, Deoque dicata memorem? Verum sicut attestante Seneca, nihil in rerum natura tam Sacrum est, quod sacrilegium non inueniat: ita videmus iuratos Dei atque Ecclesiarum hostes, diuitias & opes in Sacrosanctis Basilicis Deo Diuisque dicatas non inuidere tantum; sed sacrilega etiam audacia & libidine diripere consueuisse. Iuliano Cæsari nostræ Religionis transfugæ canes erant Verrini & venatici, qui omnia quæ fisco atq; ærario ad compilandum seruire poterant, ad nutum heri sui in Christianorum Basilicis odorabantur. Annon Cybaritici canes istiusmodi hac ætate in aulis Principum plurimi vixerunt viuuntque? qui nostri temporis Diagoræ, cum superstitionis tollendæ fuco, nouos apud Principes Magistros allegassent, facile Dominis inhiantibus & parum religiosis persuaserunt, vt non cõtenti fundos, vectigalia, Ecclesiæq; patrimonia suffocasse; dies etiam noctesque illud cogitarent, vt amplissima maiorum donaria interuerterent; & signis cimeliisq; Nobilissimis, ac Templorum

Seneca de const. Sap. cap. 8.

plorum gazis expilatis, tum demum veram Religionem reſtituiſſe, & longo interuallo ſe perfectũ Dei cultũ renoũaſſe putarent. Quare arma & infeſta ſigna inferre tẽplis, Principum thronos, imo equorũ præſepia loco altarium ſiſtere, compilare Crucifixi ſigna, excutere atque reuellere clauſtra reliquiarum, auro & parergis quibus inuolutæ fuerant extortis, plurima auferre, offerre nihil illis ſententia ſtetit. idq; tanta furtorum impunitate, vt vix vllus hic accuſator ſit repertus, qui huiusmodi hominum ſacrilegia odore, aut aliquo vel leuiter preſſo veſtigio perſequeretur. Vnde & illud poſtremo locum apud illos inuenit, quod de Siculis à C. Verre ſpoliatis ſua in accuſatione M. Tullius non minùs feſtiuè, quam aptè vſurpauit. nam cum ille innumeris ſacrilegiis fana Siculorum diuexaſſet, ſigna & antiquiſſima & Nobiliſſima, quæ neq; prædo barbarus vnquam, neque hoſtis attigerat, detraxiſſet, Delphicas menſas, crateras auro gemmisque faberrimos, & maximam vim omnis generis vaſorum abſtuliſſet, denique in tota Sicilia neque Sacri, neque religioſi quidquam duxiſſet, eam in prouincia ſolitudinem fecit; vt Myſtagogi, qui hoſpites ducere ſolent, & vnumquodque oſtendere, conuerſam iam demonſtrationem haberent. namque vt antea demonſtrabant, quid vbiq; eſſet; ita nunc quid vndiq; ablatum fuiſſet oſtendebant. Senſit gemellum quiddam cum aliis religioſiſſimis Alſatiæ Tuæ Templis, SERENISSIME PRINCEPS, noſtrum hoc Molshemenſe, in quo communi illa ſuperiorum temporũ turbela, Oppido hoſtiliter occupato, cum noſtrum quoq; Collegium, cui ampliando iam tum inſiſtebas, in hoſtium poteſtatem veniſſet; Principibus licet aliud iubentibus, ea tamen fuit in Sacrarum rerum contrectatione Sectariorum licentia, ea in Templo funditus exhauriendo ſitis & ardor, vt ab ipſa tumulorum refoſſione cõtra naturæ & Gentium ſcita Sacrilegas manus non abſtinerent; neque bellum ma-

gis Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, vel Alsatiæ, vel Ecclesiastico Ordini; quam Superis ipsis, adeoq; Piis Tuorum Decessorum Præsulum Manibus indixisse viderentur. Ergo quod de Phœnice proditum est, id Tuis, REVERENDISSIME ANTISTES, auspiciis Templo Societatis hic Molshemii accidisse recolimus. Sicut enim

Igne Hyperionio volucris Phœbaa senectam
Exuit, & fato fit rediuiua suo:

nō secus Templum Nostrum, quod æuo & vetustate prope fatiscebat, tum ab nupera illa direptione necdum planè respirabat; Tuis, RELIGIOSISSIME PRINCEPS, hortatibus impendiisq; in Augustam illam, vti hodie cernimus, molem formamque, Colophone sub hoc Academiæ tempus illi imposito, consurrexit. Sic CAROLVM verè MAGNVM Habsburgiaci Vestri Stemmatis Conditorem tot clarum victoriis, literas maiestati Imperii æquantem, Religionem etiam præferentem; Basilicis ac Diuorum Ædibus ornandis, ac publicis operibus, ad decorem Deique cultum propagandū exstruendis animum curasque commodasse accepimus. Cumque vehementer loci amænitate caperetur, qui Rhenum inter & Mosam calentium lympharum scatebris hilarescit; atque idcirco AQVARVM, siue AQVISGRANI ad hanc diem nomenclationem tulit, Augustam Basilicam ibi magnifici operis ac regali sumptu DEIPARÆ MATRIS nomini posuit. cui exornandæ perpoliendæque tantum adhibuit studium, vt non è finitimis locis duntaxat, quidquid prisci operis marmorisue è ruinis suppeteret; sed & Roma Rauennaque magnam partem aduehendam curarit. Nec minorem sibi Religiosissimi Principis laudem WERNERVS id nominis I. Argentinensium, idemque Tui, SERENISSIME PRINCEPS, Sanguinis Antistes, apud posteros conciliauit. Qui Argentorati Ædem VIRGINI

MATRI

MATRI ab Dagoberto Francorum Rege antea positam, & prout æui veteris ratio ferebat, Religione magis quam mole visendam; in eam, qua hodie videtur, Augustali magnificentia structuram, & Constantino, Carolo, seu quouis Romanæ fortunæ Principum ingenio dignissimam extulit: itaque saxis & cæmento immortali compaginauit, vt siquid sub luna perpetuum humana opera spondeant, hæc certè aduersus æuum & iniurias temporum perpetuum duratura videatur. Atque vt sensim ad Te propius adeamus; an nō Tui gratiosissimi Sanguinis, Nominis, & eiusdem inter Marchiones hoc nomine, ordinis, cuius Tu, SERENISSIME FVNDATOR, inter ARCHIDVCES, id est QVINTVM, eundemque cognomento PIVM, (quem etiam supra cœlo assertum memoraui) Tuam hanc TEMPLI MARIANI Fabricam parissimam suæ, eidem VIRGINI TVTELARI annis abhinc quadringentis positæ, non sine accessoriæ cuiusdam lætitiæ incremento, ex illa sempiternæ felicitatis Aula prospectare arbitraris? idque vel maximè, tum quod die illi anniuersario, id est, x v. Nouemb. A. M. DC. XIV. primum Te Noui Templi lapidem, auspicati ominis ergô meminerit posuisse? tum quod hoc senescente atque infelici æuo, (quo vel hæreticorum perfidia, vel tepore socordiaue Catholicorū plures Deo dicatas Ædes destrui, quam ædificari; plures improbitate sacrilega profanari, quam consecrari, pristinoque nitori restitui videmus) videat non Stemmatis modò & Sanguinis; sed PIETATIS etiam, & Religionis hæredem sibi superstitem etiamnum superesse. Atque vt eius à me vel rudis imago proponatur; surgit TEMPLVM ipsum raro structuræ genere decorum, saxo plurima parte campestri constructum, aspectu atque magnitudine peramplum, proportione, venustate, atque eleganti symmetria cumprimis visendum, edito excelsoque inter cætera Vrbis ædificia fastigio eminens.

nens. nec sua operi deëst firmitas, adminiculis forinsecus illud aduersus æuum & iniurias probè fulcientibus. Situ est ad Ortum Solis veterum more. Structura Templi, alis vtrimque procurrentibus, oblonga, χιασμὸν, siue Crucis figuram exprimit, (quam compluribus Serenissimis Tuæ Familiæ Templorum Cōditoribus placuisse reperio) spacio in longitudinem ad CCXXIV. pedes protenso. latitudo LXXXIII. pedibus traducitur, & septenis supra LXX. ad vsque templi fornicem altitudo. Parietes ad perpendiculum erecti integerini & mediani è lapide viuo solidoque, quales ad æternitatem Architecti postulant, loricatione & tectorio ad venustatem inducti sunt. Fenestræ è vitro mundo, lucido, & claro, vitreis orbibus plumbo iunctis, sparsim ferramentis obseptæ illa sunt amplitudine ac longitudine, vt sufficiens lumen in patentissimum templum quaquauersum immittant; eâ firmitate, vt qua Septemtrionem spectant, & Boream hauriunt, quantumcumque turbinem ac ventorum vim arcere possint. Ostia valuis & vectibus, quibus oppessulentur, firmata; nec sua valuis antipagmenta operosâ & dædala manu laborata desunt; quæ arte sua quantumlibet etiam morosum spectatorem detineant. Tectum podiis ad ornatum illustribus interstinctum, fulcris, trabibus, canteriis, tignisque adprobè munitum, ac pectinatum, tegulis è fissili petra inducitur, additisque ad necessitatem capreolis, omnem præstat à cælesti iniuria securitatem; tubulis è cupro, qui & stillas cadentes à parietibus, cauedioue prohibent, & aquam extra impluuium deriuant, prominentibus. Ternæ in eodem turres assurgunt, è quibus illa, quæ ad Occiduam templi plagam est, haud procul à postica Ianua, quâ in Collegium ingressus patet, quadrata infernè, cæteris supernè altior, porticibus, striis, ac parastatis distincta prominet, geminisque Mænianis ad prospectum simul & venustatem exornatur. ad has

per

per ſcalas cochlides aſcenditur, conſtatque ab imo ad ſummum gradibus CLXIX. Inter Turres, quæ prima Orienti obuertitur, vti & media, æramentis pendulis ſeruit; ac tandem gracili mucrone faſtigiata, auratoque nodo, (quod illi cum cæteris duabus commune eſt) illuſtris, vexillum præfert, quod ſalutifero IESV nomine aureis literis exarato in patentem campum effulget. Altera, quæ media Sacræ Fabricæ tholo inſidet, victorioſo viuificæ Crucis trophæo irradiat, cui recepto maiorum more Gallus ſuperſtat verſatilis, olim quidem Petrum voce, at nunc ſui aſpectu, Petriq; recordatione, ex omni plaga vniuerſos ad pœnitudinem inuitans. Tertia denique Templo ad Occaſum adſita, cæteris operoſior ſublimiorque, Virginem Matrem Templi PATRONAM, Luna pedibus ſubſtratâ, radiiſque ſolaribus circumdatam ſuſtinet. Quâ porro Templi facies ad Septemtrionem ſeſe aperit, frontiſpicium in acumen ſurgit pyramidale, Archiducalibus Tuis, SERENISSIME PRINCEPS, inſignibus præluſtre, nec procul inde ad extimam Collegii partem Oratorium eſt domeſticum, B. P. N. IGNATII, Societatis Fundatoris patrocinio celebre, vbi tum panicis terroribus ac dæmonum præſtigiis profligandis, tum iis perſanandis iuuandiſque, quorum animæ cum corporibus, ſcripto chirographo, malo dæmoni obnoxiæ ſunt, eiuſdem Diui interceſſione nec infrequens quotannis impenditur opera, nec obſcura vtilitas colligitur. Sed iam exteriore peripheria luſtrata, Ædem ipſam ſubeamus. Cuius nitor inteſtinus cum externa molis elegantia decertat. Tria continet ſpacia, mediam cellam cum duabus alis, quæ hinc ad Septemtrionalem Collegii aream, hinc in hortum gemina concamerationе arcuata eleganter contectæ porriguntur, ſuſtinentq; ambulationes, è quibus in cellam proſpicitur; & commodum eſt diuinæ Liturgiæ ac cõcioni intereſſe, ſiquan-

siquando magno hominum concursu templi spacia occupentur. Auget admirationem prægrandium columnarum series & ordo ad opticam mensuram æquabili ratione quindenûm cubitorum interuallo dissitarum, quæ fulciendæ testudini, Xystisque, & Odeo sustinendis, basibus rotundis circumsecus insidentes, porticibusque insertę, ac suis stereobatis, scapis, capitulis, epistyliis, zophoris, & volutarum ornamentis ad amussim instructæ, atque per artificem Pictorum manum maculis variis intermeantibus, auroq; splendescentes, Ophites marmor repræsentant; & latera ipsa colligentes, insigni mole atque amplitudine, arcubus variis in loco affabrè se decussantibus, eximiũ Basilicæ splendorẽ conciliant. Odeum summæ Aræ obuersum, columnisque & fornicibus innixum totum luminibus illustre, & augusto Organo sonorum, per IOANNAM ex Illustri & antiqua Rhenensium Comitum prosapia, Illustris item IOANNIS REINHARDI Hanouiensis Comitis Coniugem, perpetuo Catholicæ pietatis monimento, Ædi Sacræ illato. ad Xystum venio, qui, si quidquam aliud, in adspectum sensumque pietatis rapit spectatorem, sculpturis picturatis magnificè exornatus, quæ tabulis quadris Sacras Christi D.N. historias viuacibus emblematis exhibent, Angelis intermixtim eiusdem patientis ac triumphantis instrumenta præferentibus; vt non tam oculos sculpturæ picturæue varietas, quam pium animum vtilitas argumenti oblectet. In Xystum duabus aliis turribus altrinsecus positis gradatim ascenditur, quæ propriis structuris atque ornamentis, peristylis contiguæ, ad nitorem exsplendescunt. Laqueare interius testudinatum albario, pictura vernante, & stellulis aureis vt plurimum venustatur, ac stemmatis hinc inde penicillo poëtico lemniscatis, Angeli inter conuexa lacunaris fusili opere effigiati circumuolitant. Pauimentum lithostroton quadro lapide, eoque solido

decenter

decenter ſtratum, examuſſim æquam planiciem conſtituit. Ex hoc vbi ad Templi Chorum proſpexeris, arcus ſeſe offert medius ſtructuræ ſolidæ atque elegantis, Hetruſci operis, è viuo & quadro ſaxo LXVI. pedibus ſublimis, XXXV. in latitudinem protenſus; ad cuius coronicem, dextrorſum Archiducalia Tua, SERENISSIME ARCHIDVX, inſignia, vti Illuſtris Collegii Argentoratenſis alterorſum ad perennem Fundatoris & benefactorum memoriam depicta ſunt. Chorus, ad quem ternis gradibus aſcenditur, principē continet ARAM, quæ fuſo ſtructili ſaxo, Dei Filium in terris naſcentem repræſentat, aſſiſtentibus vtrimque APOSTOLORVM PRINCIPIBVS, quos Societas noſtra Tutelares habet; iuxtimque Diuis MATERNO & LEOPOLDO notiſſimis Eccleſiarum Fundatoribus, & tum ALSATIÆ, tum AVSTRIÆ Patronis. Pars ſupera VIRGINEM MATREM cœlo aſſumptam, eandemque Auguſtam Reginam ab Sanctiſſima Triade coronatam, & tum cæleſtium Spirituum choro, tum Societatis noſtrę Diuorum Tutelarium B. P. IGNATII Fundatoris, & B. FRANCISCI XAVERII, Fidei per Indias Propagatoris auguſta ſpecie vallatam exhibet; Sacratiſſimis Nominibus vtrimque tum SALVATORI, tum DEIPARÆ appoſitis, auroque quaſi obryzo bracteatis. Aræ faſtigium Chriſtus D. N. CRVCIFIXVS, ceu primarius loci Paterfamilias, hinc Virgine Matre, hinc Ioanne diſcipulo Cōſobrino adſtantibus occupat; qui cum vniuerſa ſtructuræ mole pium ſpectatorem cum veneratione detinent, & commorantem ad orandum alliciunt. nec prætereundi cum aliis ad pietatis incitamentum, effigiati Quatuoruiri Euangeliorum Scriptores, quorum fictæ pictæque, ſtatuæ ad dexteram, chorum ambiunt: quibus in aduerſa parte totidem Eccleſiæ DOCTORES pari magnitudine, & artificio viſendi reſpondent; atque vt ingredientibus reli-

gionem incutiunt, ita introgressos morantur. neq; inuenustè Angeli calathos omnigenis fructibus onustos præferentes interludunt, vbi etiam florum, frondiumque, & pomorum implexus contextusque (encarpa Vitruuius vocat) coronario luxu exuberantes haudquaquam indecori sunt. Porro sub ipsum Chori aditum ad dexteræ alæ caput Sacrariũ est, quod Tute, SERENISSIME PRINCEPS, ceu pietatis Tuæ proprium & familiare asceterium destinasti. Cui parte altera aliud item Virginis Matris tutelæ dicatum obiacet. duorum Sacræ sedis Argentoratensis Antistitum, IOANNIS id nominis Primi, Xenodochii Fundatoris, Anno CIↃ. CCC. XXIX. octauo Id. Nouemb. (vt ex sepulcrali saxo liquet) & GVILHELMI II. Anno M. CCCC. XXXIX. pridie Non. Octob. vita functorum sepultura decoratum. Proximè ab illo Sacrarium abest, Sacræ supellectili quotidianæ, Sacerdotibus item ad S. Liturgiam cum dignitate peragendam ornandis percommodum. Est & aliud ab hoc, qua post principem Aram per pseudothyron accessus patet, TEMPLO ad Solem Orientem adstructum, preciosiori (cuius solemnibus anni feriis vsus sit) tum Sacrarum vestium, tum è Diuorum pignoribus Reliquiarum synthesi, tutius opportuniusque recondendæ. Porro Septenæ variis Templi partibus, Aræ, quibus Deo litari possit, dispositæ sunt. Quod si alicubi fortunatos lapides eos dixit Philosophorum Princeps, quos in Deorum delubris contigerit adhiberi, si tantam in Veteri Lege apud DEVM immortalem gratiam iniit Sapientissimus Regum Salomon, quando Templum Hierosolymitanum tanta quondam Religione inclytum condidit; quos non Diuini Numinis fauores huic Tuæ munificæ pietati, SERENISSIME PRINCEPS, conciliandos æstimemus; vbi in Tua illa magnis impēdiis Augusta Basilica ad vnius Dei gloriam excitata, non, vt olim, è victimis holocau-

stum;

ſtum; ſed è puriſſimo Corpore & Sanguine Chriſti immaculatus Agnus ad Sacroſanctam Aram ab Religioſis Sacerdotibus quotidie immolatur? Feciſti ergo rem nomine, munere, Sanguine & maioribus Tuis digniſſimã, quibus illud ſolemne & religioſum fuit, inter cætera virtutis & Catholicæ pietatis opera, Baſilicas vel à fundamentis in altum ſuſtollere, vel renouare protritas & fatiſcentes, vel conſtitutas cumulare donariis, vel habitacula & manſiones Chriſti pauperibus conſtruere. Atque poſt hanc beneficentiam tantum nihilo minus ærario ſupereſſe cōpererunt, vt grauiſſimis bellis, publicisue periculis, Deo cæleſtem tutelam & ſecundos rerum ſucceſſus accumulante, opibus, armis, autoritate, potentia, feliciſſimè ad totius Chriſtianæ reip. ſalutem, & perpetuam AVSTRIACÆ DOMVS gloriam interuenirent.

GRATIAE SERENISSIMO FVNDATORI NOMINE IVVENtutis Alſaticæ.

ET par quidem erat, SERENISSIME PRINCEPS, tenuitatem meam iam tandem Tua patientia frænari; ſed quoniam perfecta dilectio non tam debet recolere, quid officiorum ſoluat, quam meminiſſe, quid debeat, etiamnunc laxatis verecundiæ habenis denuo cogor audacis eloquii obſequium iterare. Quamuis enim Auguſtę Dignitatis præſtantia & Archiducalis faſtigii amplitudo, quo ſe magis ſupra conditionem infirmæ adoleſcentiæ attollit; hoc minus ad gratiarum actionem mihi facultatis relinquit, ne quidem ſi omnes gratiarum voces aduocaro; quia tamen publici boni amore lumen illud

aureum virtutis Austriacæ, obuia quadam facilitate & prompta erga omnes beneuolentia, velut nube texisti, fiduciam sanè, quam in ipsis dicendi auspiciis largitus es, eandem nunc perpetuandi, Tuo, id est, Serenissimo vultu autor mihi es, simulque hortator, vt iterum grata profitendi obsequium meo periculo sim subiturus. Quis namque omnium me hominum inuenustissimum nō arguat, si florentissimæ Iuuentutis nomine parcus in illius beneficii ostentatione deprehendar, quod Tu, SERENISSIME PRINCEPS, illi potissimum ætati ad vniuersæ deinde Ditionis emolumentū proprium esse voluisti? Efferūt se igitur hac ARCHIDVCALI ACADEMIA Alsatæ Tui, atq; hunc diem tam lætis animis votisq; celebrāt; vt & ipsi priuatim beatos se florentesq; olim fore ominentur, & Tibi consona voce pulcerrimum illud, Patris Patriæ, Restitutorisq; Alsatiæ Cognomentum addere, ac Nobilissimam *gloriosissimamque* è quercu coronam ob Ciues seruatos imponere non vereantur. Scilicet vehementer tam sua, quam reipubl. interesse animaduertunt, liberos suos hic potissimum absolutissimos doctrinarum fructus, & Supremos Academicarum Artium honores adipisci. vbi enim aut iucundius morantur, quam in patria, aut securius, quam sub oculis suorū parentum, aut minore sumptu educātur, quam domi, aut plus emolumenti afferre olim satagent, quam si non tantum natale solum ab infantia amare & frequentare consuescant; sed in eo etiam omnia futuræ vitæ præsidia, & honorum aut munerum, quæ obituri sunt, præparamenta comparabunt? Quod si cauebant Spartiatæ non modo ne pueri negligenter in republ. instituerentur; sed etiam ne minus instructi ad alias prouincias transirent; vt apud Plutarchum memorabile sit Eteoclis Ephori responsum, cum accepta in deditionem Ægide, Antipater quinquaginta

pueros

pueros obsides postulasset; non daturum pueros, ne minus probè in patria formati, foris incompositi euaderent; & ciuium deinde albo, vbi adoleuissent, expungerentur; senes, vel mulieres, si placeret, bis totidem daturum; illoque vltima denunciante, ni accepisset; pueros, inquiebat, non dabimus; si morte imperes grauiora, æquiore animo moriemur. si, vt est apud ICtum, Respublica corpus perpetuum habetur, quod per subrogationem similium personarum immortale fieri debeat. si apud Persas tanta Filii cura educabantur, vt pueri quidem ad septimumdecimum ætatis annum pane & nasturcio victitantes non nisi in conspectu Parentum arcum torquere, equitare, currere, fabularum inuolucris fortiter gesta explicare condiscerent, ephœbi deinde noctes diesque ad vsque XXVII. annum in Achys hærentes Moderatorum curæ traditi, ea quæ pueri didicissent, retexendo solidius firmarent; donec tandem maturi æuo, variisque corporum animorumque progymnasmatis exerciti, Magistratibus Regumq; consiliis admouerentur; quam non Tibi gratiam debebit flos ille Alsaticus, cuius teneritudinem ætatis, præstantissima humanarum Artium Philosophia, cuius iuuentam Cælestium Diuinarumque rerum cognitione, per quam ante annos maturitas imbibitur, expoliendam curasti? Quarum rerũ Scientiam, siue ad hauriendam animo, siue ad diffundendam in alios virtutis lucem, plurimum semper valuisse Sapientissimi quique iudicarunt. Qua quidem Iuuentutis institutione semota, habemus non iam angusti oris, sed exuberantis fluuii tanquam Nili septemplicis ostia, quibus omne genus errorum, omniumque sectarum, dissidiorum, atque impietatum sentina, non voce, non suffragio, & consensione accersita; sed suapte sponte plenissimis velis remisq; in Christianæ huius reip. salum inuehatur. Dignaberis ergo

SERENISSIME PRINCEPS, aspectu influxuq; Tuo vernantem hanc Alsaticæ iuuentutis indolem, quæ, velut adhuc in herba delitescens germen, iamq; per biennem Philosophici noualis culturã in calycem & florem erumpere gestiens, nunc quidẽ hodierna tam benefica Gratiosissimi Tui luminis irradiatione excitum, cum ætatis vitio & autoritatis, aliud non possit, grata profitetur; olim vero, (quando Tuum istud beneficium non solum grata profitendo, sed potius bene accipiendo persoluitur) cum adulta æstas autumnusque hoc, quidquid nunc florum est, in frugem fructusque opimos maturarit; ad Dei cum primis gloriam, Christianæ reip. Patriæq; salutem, & immortalem TVI SERENISSIMI NOMINIS laudem, omnia doctrinarum præsidia in hoc Tuo florentissimæ ACADEMIÆ Gymnasio comparata, se collaturum adpromittit.

EPILOGVS PARAENETICVS

Ad Iuuentutem Academicam Molshemensem.

AGITE ergo, NOBILES ALSATÆ, (ad vos enim mea se confert Oratio) agite, Ingenui nauiq; Adolescentes, quorum robustæ adhuc & crudæ vires ad huius Academiæ gloriã totiusq; reip. spem aluntur, cognoscite mecum felicitatem vestram, qua Deo auspice, Diuis beneuolentibus ad eas disciplinas animum appelletis, quibus, si vtilitatem spectatis, nihil fructuosius, si oblectationem, nihil iucundius, si naturæ ductum, nihil procliuius, si dignitatem ac pulcritudinem, nihil ad immortalitatem vitamque beatam firmius aut stabilius potest reperiri. Veniat vobis in memoriam nullo vestro labore

aut

aut sumptu, hūc ARCHIDVCALIS ACADEMIÆ locū, tanquam augustum quoddam & spectabile virtutis atq; ingenii theatrū, ad hanc rem ab SERENISSIMO PRINCIPE Nostro dilectum esse, vt quibus generosior sanguis ad celsissimā immortalis gloriæ honorisq; regiam anhelat, illi in hoc mansuetiorū seueriorumq; literarum Gymnasio, velut ponendis pulcerrimis olim futuri ædificii columinibus desudarent; omnesque perspiciant, quæ quantaque vobis præmia tanquam in Olympico certamine, in pleniore Philosophici Theologicique fastigii agone coronā prensantibus iure merito debeantur. Itaq; tum demum fortunatos vos esse prædicabo, si quò SERENISSIMI FVNDATORIS munificentia, quò Mecenatum fauor, quò patriæ expectatio, quò Maiorum vestrorum autoritas, quò præclara indoles, quò Moderatorum Academicorum vigilantia vos manuducit; illas ~~ipsas Artes Scientiasque ad vnius Dei obsequium eò~~ combibatis, vbi cum pietate adgregatæ ad sempiternam plurimorum animorum felicitatem quam latissimè promanare possint. Enimuero, vt Philosophi in corporibus cælestibus quendam veluti elementorum florem; in aliis vero sublunaribus fæcem inesse dicunt; ita ego in literaria cognitione, siquidem solitaria est, fæcem, in pietate florem æstimo contineri. Videte enim quam nulla ex illis, si solæ sint, nihil medentibus, nihil sanantibus literis incrementa, imo vero, quam multa potius detrimenta reip. accedunt; videte, inquam, quam vilis & noxia sit Artium possessiuncula, nisi, hoc præsertim maligni mundi senio, beata virtutis pietatisque supellectile locupletetur. An non infelicis nostratis sæculi Nouatores hac destitutos, cum ex vtilissimarum cæteroqui disciplinarum tractatione, famam duntaxat & inanem vulgi prædicationem misera gloriæ animalia sibi in omni studiorum

diorum suorum ratione proposuissent, tandem aura illa leuicula, cum satis adspiraret vltra quam oporteret, citò prouectos, eò sæpe delatos ingemiscimus & erubescimus; vbi amissis deinceps rationis & Religionis gubernaculis, variis errorum opinionumque deprauatarum fluctibus miserum in modum agitati exerrarunt? Vnde deinceps turpissimo naufragio in saxa & Syrtes impacti, nullum aut veritatis portum capere, aut integræ fidei certique Numinis sidus aspicere valuêre? atque vtinam hæc tabifica lues suos tantum autores lethali contactu corrupisset. non esset quod tam multos in singula pæne momenta partim viua voce pro pulpito, partim nefario stylo emissariis libris & voluminibus exaratis, velut ex luctifico Pandoræ poculo dementatos, ipsis lutulentis corruptelæ mancipiis inquinatiores, ipsis etiam Gentibus infideliores, miseranda prorsus contagione in Atheismum prolapsos *lugeremus. Et vero, quonam decore, qua glo*ria consurgere potest, quam è libris & in Scholarum Gymnasiis Adolescentes hauriunt, doctrina, si non eam benefico vitaliq; aspectu suo Pietas recrearit? quam in frugem maturescet eruditio, quæ hoc Christianæ pietatis & modestiæ nutrimento spoliatur? Vos ergo ipsos, Academici Adolescētes, acrius incitate, omnes animi vires consciscite, vt quando vobis omnia fortunæ bona Parentes, omnia ingenii ornamēta Præceptores, omnia quæ ad absolutam Christiani hominis dignitatē faciunt disciplinarum præsidia SERENISSIMVS PRINCEPS FVNDATOR studet comparare, nihil quidquam æstimetis potius, quam in frugiferis literatæ Sapientiæ latifundiis ex hac Pietatis & Eruditionis semente in nouellos vestros animos coniecta, vberem metere messem ad vitæ deinceps morumque munimentum. Hæc est fruges, hæc messis, quam à vobis Deus, quam Patriæ salus, quam SERENIS-

SIMVS

